DUODECIM
RIVVLI MELLIS,
LACTIS ET OLEI,
DE
PETRA DURISSIMA,
QUÆ EST
CHRISTVS CRUCIFIXUS,
SIVE
DUODECIM EXHORTATIONES
ad Sodales Chriſti in Cruce agonizantis;

AVTHORE

R. P. PHILIPPO KISELIO, Fuldenſi,
è Societ. JESU.

Cum Privileg. Sac. Cæſ. ac Reg. Majeſtatis.

BAMBERGÆ,
Sumptibus JOANNIS ELIÆ HÖFFLING,

ANNO M.DC.LXXVII.

Rivulus Mellis Primus,
ſtillans cum ſanguine de facie Chriſti ſudantis ſanguinem:
ſive

EXHORTATIO I.
PRO MENSE JANUARIO.

Thema.

Ut ſugeret mel de Petra, Deuter. 32. v. 13.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

RIvulus mellis, eſt memoria Paſſionis Chriſti; de qua oſtenditur, quàm illa nobis ſit utilis & neceſſaria.

§. 1. Probatur ex Ludovico Bloſio, quàm ſit utilis memoria Paſſionis.

§. 2. Confirmat id Ludovicus Carthuſianus.

§. 3. Viſio objecta B. Angelæ de Fulginio, plena ſolatio.

§. 4. Quiſquis devotus eſt Paſſioni, impetrat à Chriſto D. quidquid vult.

§. 5. Chriſtus D. inſtituit SS. Euch. ut ſimus memores Paſſionis.

§. 6. Cur Chriſtus D. in cruce exſpiraverit clamando.

§. 7. Cur cum lachrymis.

§. 8. Memoria Paſſionis eſt theſaurus ineſtimabilis.

§. 9. Hiſtoria rara.

§. 10. Alii fructus memoriæ Paſſionis.

§. 11. Teſtimonium Ludovici Bloſii.

§. 12. Proſopopæja Chriſti de Cruce alloquentis B. Angelam de Fulginio.

OMnibus notum eſt, nihil in vita hominis ſpirituali DEO eſſe gratius & acceptius, nobis verò ad obtinendas omnis generis gratias *§. 1. Probatur ex Ludov. Bloſio, quàm*

ſit utilis memoria Paſſionis.

gratias & beneficia, præſertim ad impetrandam ſanctam mortem, nihil utilius & fructuoſius, quàm aſſiduam meditationem & memoriam Paſſionis D. N. JESU Chriſti. Ita nos monet Ludovicus Bloſius in conclavi animæ, c. 2. n. 6. Frequentiſſimè Dominus re-„ velavit chariſſimis Sponſis ſuis Gertrudi, Brigittæ, Mechtildi, Ca-„ tharinæ, quàm ſit & ſibi acceptum, & homini fructuoſum, reco-„ lere paſſionem piâ, humili, & ſincerâ attentione & devotione; „ quod ipſæ diligentiſſimè fecerunt; tum ſubdit: Neque ſcribi, ne-„ que cogitatione comprehendi poteſt, quantum fructum homo „ bonæ voluntatis, & humilis, referat ex pia meditatione Paſſio-„ nis Dominicæ. Alibi: Ignorare nemo debet, illa exercitia, qui-„ bus aliquid ex Paſſione Domini JESU, juxta gratiam ſibi datam, „ legit, aut ruminat, majoris eſſe virtutis, quàm alia ſpiritualia exer-„ citia; omnino ſicut ille, qui Opobalſamum vel leviter contin-„ git, neceſſariò ſuavem odorem retinet; ita is, qui Paſſionem Do-„ minicam piè recolit, licèt perfunctorio affectu id faciat, non pote-„ rit non referre augmentum gratiæ divinæ. Sed nec effigiem „ quidem Crucifixi Redemptoris homo Chriſtianus unquam re-„ verenter aſpexit, aut aſpiciet ſine grandi utilitate.

§. 2. *Confirmat id Ludov. Carth.*

Ludolphus Carth. p. 2. c. 58. hoc refert: *Multùm placet DEO, quòd homo memoriam Paſſionis, & Vulnerum ejus portet in corde ſuo;* narratur enim, quòd cùm quidam Eremita ſanctiſſimæ vitæ inſtanter Dominum exoraret, ut ſibi oſtenderet, quid ſibi inter cætera ſervitia magis acceptabile eſſet, vidit hominem nudum, trepidantem frigore, & crucem magnam ſuper ſe bajulantem, & ſibi, *quis eſſet*, interroganti, dicentem: JESUS Chriſtus ego ſum. Rogaſti „ enim me, ut tibi oſtenderem, quid inter cætera ſervitia mihi ma-„ gis placeat; & dico tibi, quòd hoc, quòd homo ſcilicet juvet me, „ portare crucem meam, & vulnera, & paſſionem in corde ſuo; & hæc dicens evanuit.

§. 3. *Viſio objecta B. Angelæ de Fulg. plena ſolatio.*

Solatio plenum eſt, quod refertur in Vita B. Angelæ Fulginienſis, quòd aliquando dixerit: *Dum* (fortè coram aliquo Crucifixo) *ſic tota ſtarem abſorpta ab illo dolore, & quaſi in dolores Crucifixi eſſem transformata, audivi Crucifixum ſuper devotis ad ſuam Paſſionem, & ſuper imitantibus ipſam, & ſuper ſibi compatientibus* (videtur meo judicio

dicio piiſſima Virgo prævidiſſe Sodales Chriſti in Cruce agonizātis; hîc enim &c. poterit fieri pulchra digreſſio, quomodo hi Sodales ſint devoti erga Chriſti D. Paſſionem) *dulciſſimas benedictiones ingeminantem, & dicentem: Benedicti vos à Patre meo, qui mihi compaſſi, & mecum ſimiliter contribulati, & viam meam ſecuti, ſtolas veſtras in meo ſanguine lavare meruiſtis.*

§. 4. *Quiſquis devotus eſt Paſſioni impetrat à Chriſto D. quidquid vult.*

Quid utiliùs nobis eſſe poteſt, quàm ut modum habeamus quo à Chriſto D. impetrare poſſimus, quidquid volumus? Refert autem Cæſarius l. 8. c. 10. quòd Salvator in cruce pendens, cuidam Sacerdoti, qui erga Paſſionem magnâ devotione ferebatur, dixerit: *Pete à me quod vis, & fiet tibi.* Et quid ipſum petiviſſe putatis? Et reſpondit vir piiſſimus: *Domine, ſufficit mihi gratia tua; nihil aliud à te peto, niſi tantùm ut lachrymas,* (id eſt, ut devotionem, ut pios in corde motus, &c. habere poſſim,) *quoties Paſſionis tuæ fuero recordatus.* Dictum, factum, quod à Crucifixo ſibi dari petiit, impetravit. Chriſto D. nihil eſt gratiùs, quàm ſi ſimus memores Paſſionis.

§. 5. *Chriſtus D. inſtituit SS. Euchariſtiam, ut ſimus memores Paſſionis.*

Pias & curioſas quæſtiunculas legi in libro pio, v. g. 1. Cur Chriſtus D. inſtituerit ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum? Reſpondet S. Th. opuſc. 57. Corpus ſuum pro noſtra reconciliatione in ara Crucis hoſtiam obtulit DEO Patri, & ſanguinem ſuum fudit in pretium, ſimul & lavacrum. Ut autem tanti beneficii jugis in nobis maneret memoria, corpus ſuum in cibum, & ſanguinem ſuum in potum, ſub ſpecie panis & vini ſumendum, fidelibus reliquit. Quam cauſam illis verbis clarè inſinuavit: Hoc facite in meam commemorationem. Fuitque mens S. Pauli Apoſtoli, dicentis: Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem Domini biberitis, mortem Domini annùntiabitis. Ubi Syriaca lectio: Mortem Domini ad memoriam revocabitis.

§. 6. *Cur Chriſtus D. expiraverit clamando.*

2. Quæſtio eſt; cur JESUS in cruce cum clamore magno expiraverit? adeo, ut dicat ſacer textus, *Videns autem Centurio, qui ex adverſo ſtabat, quòd ſic clamans exſpiraſſet, dixit: Verè hic homo Filius DEI erat.* Variis locis varias hujus clamoris refero cauſas. Placet mihi modò Simon Caſſianus, dum *vult audiri.* Sed quid nobis clamat de cruce, in quo à nobis vult audiri? hoc clamat: *O vos omnes,*

Digitized by Google

nes, qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut, dolor meus.

§. 7. *Cur cum lachrymis.* 3. Quæſtio. Cur cum lachrymis clamaverit? in una exhortatione non poſſum referre plurimas cauſas; reſpondeo modò cum unico S. Bernardo: *Flevit Chriſtus in cruce ingratitudinem eorum, qui tam rarò & frigidè cogitant de Paſſione Chriſti.* Itaque quod clamore petiit, petiit cum lachrymis: *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.*

§. 8. *Memoria Paſſionis eſt theſaurus inæſtimabilis.* Ut bene dixerit Bloſius: Inæſtimabilis plane theſaurus invenitur in Paſſione Chriſti, cui ſi te convenienter adjunxeris, (hoc eſt, ut ipſe Chriſtus D. dixit, ſi bonâ voluntate prædītus, paſſionis ejus lectioni ac meditationi humiliter, & ſtudioſè, ut oportet, inſtiteris) mirum in modum locupletaberis. Et Lud. Carth. p. 2. c. 58. Per fructiferam, ac venerabilem Chriſti Paſſionem, cunctorum nobis ſpiritualium donorum materia copioſiſſimè miniſtratur. Enimverò à Chriſti Crucifixione, uſque in præſentia tempora, experientia docet, quòd omnes, quotquot Paſſioni Dominicæ devoti extiterunt, homines ſemper fuerint, magnâ perfectione & ſpiritu præditi. Rariſſimas v. g. gratias à Chriſto D. obtinuit S. Franciſca Romana; ſed Vita ait: *Memoria Paſſionis Chriſti viſceribus cordis ipſius impreſſa fuit medullitùs.* Ita myſteria Paſſionis cogitabat, acſi præſens tum temporis fuiſſet, quando paſſus fuit; & ita ſe habebat in dolendo, acſi Dominum ſuum coram oculis ſuis haberet præſentem. S. Brigitta Regina Sueciæ, quantæ fuit ſanctitatis? quale virtutum fuit decus & ornamentum? ſed ex quo fonte hauſit has gratias? Decennis poſt auditum de Paſſione Domini ſermonem, ſequenti nocte JESUM in cruce recenti ſanguine profuſum vidit, & de eadem Paſsione ſecum loquentem; quo ex tempore in ejuſdem meditatione ita afficiebatur, ut de ea ſine lachrymis cogitare deinceps nunquam poſſet. Amantiſsimi Sodales, quærite & vos hunc fontem. Magnæ ſanctitatis vir fuit S. Anſelmus, ſed quotidie Chriſtum D. ardentiſsimis hiſce votis & ſuſpiriis ſollicitabat. Diviniſsimam Crucem humeris meis impone, cujus latitudo eſt charitas, ſupra omnem creaturam ſe extendens; cujus longitudo æternitas; cujus ſublimitas omnipotentia; cujus profunditas inſcruta-

ſcrutabilis ſapientia eſt. Confige illi manus meas, & pedes, & to- „
tam formam Paſſionis tuæ, me famulum tuum indue, - ut Cruci- „
fixi imaginem portare me glorior, vulneret hoc cor meum - lan- „
cea, quæ latus tuum aperuit. Vir Seraphicus fuit S. Bonaventura,
ſed dicere ſolitus: Nolo Domine ſine vulnere vivere, quia te vi- „
deo vulneratum.

Refert P. Rho, fuiſſe Virginem, quæ licèt nunquam penicil- §. 9. *Hiſtoria rara.*
los attigiſſet, nunquam colores tractaſſet, auſam tamen per ſe tentare, in quo picturæ magiſtri multùm laborant; expreſſam enim per ſummas dolorum acerbitates, Christi D. ita finxit effigiem, ut in mediis doloribus divinam illam charitatis alacritatem, quâ pro hominibus mortuus eſt, incorruptâ dolorum ſignificatione repræſentaret. O ſi in hac ſancta Quadrageſima tales eſſemus pictores! In hac arte pingendi excellens fuit B. Clara de monte Falco, de qua ait auctor Vitæ. Vide hiſce oculis corpus Claræ V. de mon- „
te Falco, (poſt mortem ſcilicet) & cor ejus, in quo inſculptus eſt, „
Chriſtus cruci affixus. Ex eadem carne flagra, quibus eſt cæſus; „
columna, cui fuit alligatus; omnia denique ſimulachra, quibus e- „
jus paſſiones referuntur. O ſi &c.

Hæc memoria paſſionis indoctum reddit doctiſsimum, (Lu- §. 10. *Alii fructus memoriæ Paſſionis.*
dolph. Carth.) imperitos & idiotas facit proficere in magiſtros, „
non ſcientiæ, quæ inflat, ſed charitatis, quæ ædificat. Ipſa eſt vel- „
ut quidam liber vitæ, in quo omnia ſaluti neceſſaria inveniuntur; „
felix, qui ejus ſtudio ſeriò intendit, quia in contemptu mundi, & „
amore DEI proficiet, cunctarumq; virtutum ac gratiarum incre- „
mentum ſumet. S. Bonav. coll. 7. Qui ſe intentè & devotè in „
ſanctiſsima Vita & Paſsione Domini exercet, omnia utilia & ne- „
ceſſaria ſibi abundanter ibi invenit; nec opus eſt, ut JESU JESUM „
aliquid quærat. Applicare hoc poſſumus v.g. Vulneribus Chriſti,
qui ſe intentè, &c. ita de pretioſo ſanguine, &c. de latere & corde
Chriſti. Idem Sanctus: Nihil magis informat hominem ad „
virtutem, quàm exemplum - Chriſti paſsi. Nihil verò magis inci- „
tat, quàm tanta benignitas, quâ pro nobis altiſsimus DEI Filius „
abſque noſtris meritis, imò cum multis demeritis, poſuit animam „
ſuam.

Lud.

Digitized by Google

§. 11. *Teſtimonii Ludovici Bloſii.* Lud. Bloſius: *Quotieſcunque aliquid piè meditaris, aut legis de Paſſione Domini IESV, ſanctificaris inde, & ingentem fructum reportas, etiamſi parvo admodum affectu, & ſine ullo ſapore ſenſibili mediteris ac legas. Fieri nullâ ratione poteſt, ut vel aſpicias tantùm piis oculis imaginem Crucifixi, ſine grandi utilitate, cùm ibi ſalutis tuæ ſummam invenias.*

§. 12. *Proſopopœja Chriſti D. alloquentis B. Angelam de Fulginio.* Finio hanc exhortationẽ de utilitate memoriæ Paſſionis Chriſti ſuaviſsimis verbis Chriſti D. quibus allocutus fuit B. Angelam de Fulginio, prout P. Bollandus refert in ejus Vita, 4. Jan. *O vos verè beati, & benedicti, ſi in cruce pro meis crucifixoribus, cum lachrymis & fletu, rogavi Patrem meum, & excuſavi, dicens: Pater dimitte illis, quia neſciunt, quid faciunt. Quid pro vobis, qui mihi compaſſi, devoti, & conſocii fuiſtis, dicturus ſum? cùm non in cruce, ſed in gloria feliciſſimus, orbem judicabo. Benedicti, qui meæ paſsionis, quæ eſt ſalus, & vita perditorum, ſolum refugium peccatorum, memores, & devoti, & compatientes eritis; quoniam verè & regni, & gloriæ, & reſurrectionis, quam per ipſam acquiſivi, eritis participes mecum, & cohæredes, in perpetua ſæcula ſæculorum.* Puto me hâc exhortatione ſufficienter probaſſe, quàm memoria Paſsionis Chriſti D. nobis ſit utilis & fructuoſa.

RIVULUS MELLIS SECUNDUS,
ſtillans cum ſanguine de columna Chriſti flagellati,
ſive
EXHORTATIO II.
PRO MENSE FEBRUARIO.
THEMA.
Ut ſugeret mel de petra, Deuter. 32. v. 13.

SYNOPSIS.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

EXhortatio hæc eſt continuatio prioris, quàm fructuoſa nobis ſit pia & ſeria meditatio Paſſionis. Monet auctor, hanc præcipuè meditandam eſſe circumſtantiam, quàm Paſſio Chriſti D. ſit mirabilis, ad concitandos varios affectus.

§.1. Brevis repetitio prioris Exhortationis, & propoſitio.
§.2. Varii SS. PP. Paſſionem Chriſti D. vocant mirabilem.
§. 3. Proſecutio ex S. Chryſoſtomo.
§.4. Proſecutio ex S. Bonav. S. Auguſtino, & S. Paſchaſio.
§.5. Iterum ex S. Bonav. & S. Bernardo.
§.6. Mirabilis in Chriſto D. combinatio gaudii & doloris.
§.7. Alius mirabilis effectus Paſſionis.
§. 8. Aliud mirabile & affectuoſum myſterium.

§. 1. Brevis repetitio prioris exhortationis, & propoſitio.

MEmini, me Exhortatione ultimâ aliquas Vobis propoſuiſſe quæſtiunculas de Paſſione D. N. Jesu Chriſti, v. g. prima fuit, quare Chriſtus D. SS. Euchariſtiam inſtituerit ſub ſpeciebus panis & vini? Reſpondi, ut in ſpecie panis quotidie ſimus memores, illum in ara Crucis obtuliſſe corpus ſuum veluti hoſtiam pro noſtra reconciliatione; ſub ſpecie vini memores eſſe debemus quotidie ſanguinis, quem in ara Crucis propter eandem cauſam effudit. Altera quæſtiuncula fuit, quare in Cruce cum tanto clamore exſpiraverit? Reſpondi, voluit audiri à nobis illam vocem, quâ clamat: *O vos omnes*, &c. Tertia, quare iſti clamori in Cruce addiderit lachrymas? Reſpondi, flexiſſe Chriſtum D. illorum ingratitudinem, qui tam rarò & frigidè recogitant Paſſionem Chriſti; oſtendi proinde, quàm Chriſto D. acceptum, & nobis proficuum ſit, meditari ejus Paſſionem. Hodie aliam legi quæſtiunculam, eamq; pulchram; quare patiente & moriente Chriſto in Cruce, factæ ſint tenebræ ſuper univerſam terram? Reſpondeo ex S. Bernardino: *In myſterio voluit Deus circumcidere oculos hominum cum denſis tenebris, ne viſus in objecta forinſeca vagaretur, ſed ut ingrederetur ad cor, ad conſiderationem eorum, quæ contra DEI Filium agebantur, diemq; vertit in noctem, ut intenſior fieret conſideratio, & con-*

contemplatio arcanorum, tam his, qui prope, quàm his, qui longè Filii Dei paſſioni aſtabant. Cùm ſciam, Vos hoc quadrageſimali tempore libentiſſimè de Chriſti Paſſione meditari, hac exhortatione binas Vobis voculas propono, quas judico bene conſiderandas. Quænam illæ ſint, ſtatim audietis.

§. 2. *Varii SS. P. Paſſionem Chriſti vocant mirabilem, ob mirabilia, quæ continet myſteria præſertim illa, quæ videntur inter ſe contraria.*

Hiſtoriæ Paſſionis, quæ in Sept. ſancta legi ſolet, hic titulus prælegi ſolet: *Paſſio D. N. IESV Chriſti*, ſuper quem titulum S. Bonaventura t. 7. in ſtim. amoris, c. 1. exclamat: *O Paſſio mirabilis!* S. Bernardus: *Mirabilis Paſſio tua Domine IESV, quæ paſſiones omnium noſtrûm propulſavit: mirabilis, inquam, quæ tam admirabiles continet maximas, quæ videntur planè contradictoriæ;* v. g. *ligari eum, qui immenſus eſt; flagellari, qui glorioſus exiſtebat; alapari, qui mundum plaſmaverat; conſpui illum, qui ſplendor eſt æternus, & ſpeculum ſine macula; blaſphemari eum, qui Pater eſt immenſæ bonitatis; dijudicari eum, qui Iudex eſt immenſæ poteſtatis: gaudium Angelorum affligi; vitam viventium occidi; ſpinis coronari gloriæ coronam; ſub lapide ſepeliri Solem Iuſtitiæ.* Ecce conſiderationes, quas cum Sponſa attentè & devotè perpendit, dixit Cant. 1. v. 12. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur;* q. d. hic faſciculus v. g. Chriſtus ligatus, &c. nunquam avelletur à corde meo, (ſic de aliis nominatis myſteriis.) S. Brigitta, cùm decennis poſt auditum de Paſſione Domini ſermonem, ſequenti nocte JESUM in Cruce recenti ſanguine perfuſum vidit, & de eadem Paſſione ſecum loquentem audivit; ex eo tempore in ejuſdem meditatione fuit affecta, ut de ea ſine lachrymis cogitare non poſſet. O ſi S. Brigittam imitaremur!

§. 3. *Proſecutio ex S. Chryſoſtomo.*

Mirabilis Paſſio: in qua juxta modum diſcurrendi humanum, mera ſunt contradictoria, quæ ita conſiderat S. Chryſoſt. ſer. 6. de paſſ. *Flagellatur remiſſio, condemnatur venia, illuditur Majeſtas, irridetur virtus, perfunditur largitor imbrium ſputis: clavis ferreis cœli ſtator affigitur: mellis dator cibatur felle: propinator fontium potatur aceto.* An non eſt contradictio? quòd DEus ille, de quo Ap. ait 2. Cor. 1. c. v. 3. *Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra*, in paſſione contriſtetur, paveat, contremiſcat; quia *cœpit tædere, pavere, & mœſtus eſſe, ut dixerit, triſtis eſt anima mea uſque ad mortem;* ideoq; confortatione opus habuit. *Acceſſit Angelus de cœlo con-*

Digitized by Google

confortans eum. Has mirabiles contradictiones ita ponderavit Seraphicus S. Franciſcus, ut Vita dicat: *Memoria Paſſionis Chriſti viſceribus cordis ipſius impreſſa fuit medullitùs*; ut pari ratione nobis imprimatur, *neceſſarium eſt*, (Vener. Beda) *ut ſæpe iſta cogites, in contemplatione tua, acſi præſens tum temporis fuiſſes, quando paſſus fuit, & ita te habeas in dolendo, acſi Dominum tuum coram oculis tuis haberes patientem.*

§. 4. *Proſecutio ex S. Auguſtino, S. Bonav. & S. Paſchaſio.*

Mirabilis Paſſio, cujus contradictiones ita proponunt S. Bonaventura, & S. Auguſtinus. Ille: Verè mirabile eſt, quòd Chriſtus ,, in Cruce ſiſtens inebriat, & potat nos torrente voluptatis: ejus ,, manus ligno conclavatæ nos ſolvunt; pedes confuſi nos currere ,, faciunt. Emittens ſpiritum, vitam inſpirat. Conſpuitur gloria, ,, contemnitur Juſtitia, Judex judicatur; inoffenſus inculpatur; in- ,, nocens infamatur; DEUS blaſphematur, Chriſtus conculcatur, ,, Vita occiditur. S. Aug. ſer. 46. de temp. Expalmatur, qui eſt vera ,, palma victoriæ; ſpinis coronatur, qui ſpinas peccatorum venit ,, confringere; ligatur, qui ſolvit compeditos; ligno ſuſpenditur, qui ,, erigit eliſos; aceto potatur fons vitæ; diſciplina cæditur, ſalus vul- ,, neratur, Vita moritur. Occidit ad tempus vitam mors, ut in per- ,, petuum à Vita occideretur mors. An non ſunt hæc mirabilia? *Stare ad ſententiam mortis*, (S. Paſchaſius) ſed inde conſeſſurum ſe à ,, dexteris virtutis DEI. Clavis configi, ſed pro perſecutoribus exo- ,, rare. Deputari inter iniquos, & uni largiri paradiſum. Elevari in ,, ligno, ſed terram tremere. Pendère in cruce, ſed diem & Solem ,, fugare. Exuere animam è corpore, ſed revocare animas ad corpo- ,, ra, ipſoſque mortuos ad vitam reparare. Sepeliri mortuum ut ho- ,, minem, ſed reſurgere DEUM. Secundùm hominem omnia pro ,, nobis infima pati, ſed ſecundùm DEUM in his omnibus triumpha- ,, re. Mirabilis Paſſio Domini noſtri JESU Chriſti.

§. 5. *Iterum ex S. Bonav. & S. Bernardo.*

Iterum S. Bonaventura de ſtim. div. am. c. 1. *O Paſſio deſiderabilis, ô mors admirabilis! quid mirabiliùs, quàm quòd mors vivificet! vulnera ſanet! ſanguis album faciat, & mundet intima! nimius dolor nimium dulcorem inducat. Apertio lateris cor cordi conjungat. Sed & hoc mirari non ceſſes, quia Sol obſcuratus plus ſolito illuminat: Ignis extinctus magis inflammat: Paſſio ignominioſa glorificat*; juxta illud S.

B 2 Pauli

Pauli ad Philip. 2. v. 8. *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod & DEVS exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine IESV omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noſter IESVS Chriſtus eſt in gloria Dei Patris*, ad Hebr. 2. *Videmus IESVM per paſſionem Crucis gloriâ & honore coronatum.* S. Bern. ſer. 45. *Quàm pulcher es Angelis tuis Domine IESV in formâ DEI, in die æternitatis tuæ, in ſplendoribus Sanctorum ante Luciferum! Quàm mihi decorus es, Domine mi, in ipſa tui hujus poſitione decoris! Etenim ubi te exinanivîſti, ubi naturalibus radiis lumen indeficiens exuiſti, ibi pietas magis emicuit, ibi charitas plus effulſit, ibi ampliùs gratia radiavit.* Mirabilis Paſſio Domini noſtri Jesu Chriſti, per quam adeo factus eſt glorioſus! Sic oſtendi, crucem non eſſe probri & ignominiæ, ſed magnam gloriam!

§. 6. *Mirabilis in Chriſto D. combinatio gaudii & doloris.*

Mirabilis Paſſio. Siquidem per triginta trium annorum ſpatium, continuum Chriſtus D. hoc fuit operatus miraculum, ut beatitudinem in ſuperiori parte animi reſtringeret, & coërceret, abſque eo, quòd vel minimam voluptuoſi illius torrentis beatitudinis & gloriæ, qui in beatiſſima ejus anima inundabat, ſtillam in corpus ſuum tranſmitteret, ut hac ratione corpus illius paſsibile, noſtriſque pœnalitatibus ſubjectum remaneret. B. Laur. Juſtin. *Vno ſiquidem tempore, & DEI fruebatur viſione, & intolerabili paſſione gemebat, ut tota divinæ fruitionis gloria in eo militaret ad pœnam.* Ecce igitur, quàm verum ſit, quòd ſummè admirabilis fuerit ejus Paſsio; ſiquidem gloriam animæ, quæ corpus ipſius efficere debebat impaſsibile, in ſola anima continuit, ut corpus tantò magis pati poſſet, tantòque magis atrocia & acerba tormenta experiretur.

§. 7. *Alius mirabilis effectus Paſſionis.*

Mirabilis Paſsio, *in qua letiferum venenum peccati, & felleum acetum, quo Iudæi Chriſtum in Cruce potarunt, tranſmutatum fuit in ſaluberrimam medicinam, quæ multis ex ipſis crucifixoribus attulit ſalutem.* Ita S. Aug. tr. 91. in Jo. meditatus fuit hoc admirabile myſterium: *Ex ipſis crucifixoribus, &c. multi compuncti corde converſi ſunt, & tanti ſanguinis, tam impiè atque immaniter fuſi, indulgentiam acceperunt: ipſo redempti ſanguine, quem fuderunt. Chriſti enim ſanguis ſic in remiſſionem peccatorum omnium fuſus eſt, ut ipſum etiam*

pecca-

Digitized by Google

peccatum poſſet delere, quo fuſus eſt. Eſſare, mi dulciſsime Domine! audire mihi videor crudeles illas voces, quibus ſceleſti Judæi coram Pilato, coram toto mundo, audiente Jeroſolymâ exclamarunt: *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros*; ideo quæro, poſſumne cogitare, quòd etiam aliquibus ex his, qui reverà ex odio erga Chriſtum ita clamarunt, nihilominus fuerint converſi; & vi atque efficaciâ ejuſdem ſanguinis ſalvati? ut hoc cogitem, RR. Patres, facit infinita DEI miſericordia & amor! Omnino, ex his quoque multi compuncti & converſi ſunt; ut dicere poſſimus: *Paſſio mirabilis!*

De ipſa morte Chriſti in Cruce ita diſcurrit S. Bonav. ſæpiùs citatus: *Hoc inexcogitabile eſt, quòd morte, quæ ſibi inferebatur, liberaret inferentes à morte; cùm propter hoc debuiſſet fortiùs, vel potiùs, ſecundùm humanum judicium, nos omnes æternâ morte condemnare; hoc ipſo, quod à nobis, & occaſione noſtri fuiſſet, tam vili & crudeli morte occiſus.* Quis hìc Chriſtum crucifixum non alloquatur cum S. Bonav. *Quid feciſti Domine? quare pro me viliſſimo aſcendiſti in Crucem? Et quid ſum ego indigniſſimus vermis, putredo deteſtabilis; pro quo tu DEUS omnium debeas ſic affligi, ſic mori! -- Non credo, quòd omnes Angeli de Paradiſo poſſent ſuis intelligentiis capere hanc vehementiam charitatis, quâ Dominus noſter IESUS voluit talia pati, pro nobis ſtultiſſimis ſervis, imò nequiſſimis inimicis ejus.* O Seraphini! involvite veſtras alas! obvelate oculos, & canite, *Sanctus! ſanctus! ſanctus!* vel ob hanc cauſam, quòd fuerit tam mirabilis Paſſio Domini noſtri Jesu Chriſti! Et quid faciemus nos vermiculi? ah animæ piæ, &c. (fiat ſuavis affectus.)

§ 8. *Aliud mirabile myſterium.*

Superſunt adhuc alia mirabilia, quæ apud SS. Patres reperio. *Mirabilis Paſſio!* de quibus proximè.

Rivulus Mellis Tertius,
ſtillans cum ſanguine de flagellis Chriſti flagellati,
ſive
EXHORTATIO III.
PRO MENSE MARTIO.

Thema.

Ut ſugeret mel de Petra, Deuter. 32. v. 13.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

Oſtenditur aliis variis & affectuoſis diſcurſibus ex SS. PP. quàm mirabilis ſit paſſio Chriſti, & quantum noſtros conci-tet affectus.

§. 1. *Propoſitio.*
§. 2. *Variæ & mirabiles circum-ſtantiæ Paſſionis Chriſti.*
§. 3. *Pium Votum Auctoris.*
§. 4. *Quid mirabilius? quàm quòd Chriſtus fuerit currus trium-phalis.*
§. 5. *Paſſio Chriſti mirabilis propter mirabiles virtutes.*
§. 6. *S. Bonav. S. Aug. S. Paulus non potuerunt comprehendere, vel æſtimare charitatem, quâ Chriſtus pro nobis mortuus eſt.*
§. 7. *Miraculum naturæ in Peli-cano.*
§. 8. *Apoſtrophe Chriſti pendentis in Cruce ad mortales.*
§. 9. *Calx accenditur per aquam: pari modo amor Chriſti.*
§. 10. *Chriſtus D. cæleſtis fuit Her-cules.*
§. 11. *Amor fuit præcipua cauſa fi-nalis redemptionis.*
§. 12. *Amor Chriſti, & præcipuè effuſio ſanguinis ejus, in nobis mutuum accendit amorem.*
§. 13. *Pia petitio ad IESUM Cruci-fixum.*

Oſtendi

OStendi ante dies 14, quàm mirabilia myſteria, quàm admirandas contradictiones & paradoxa in ſe contineant pauciſſimæ & breves hæ voculæ, Paſſio D. N. JESU Chriſti, in omnibus planè mirabilis: ſuperfuêre aliqua plena ſolatio & affectibus, quæ hâc exhortatione Vobis proponam. §. 1. *Propoſitio.*

Mirabilis Paſſio, in qua, ex mente S. Cypriani Chriſtus D. *damnatus eſt, ut liberaret damnatos; doluit, ut ſanaret infirmos; timuit, ut faceret ſecuros. Vt nos roboret, læto animo* (S. Laur. Juſt.) *debilitatur in carne; venuſtat nos ſuo cruore; livore ſuo perornat; ſuoque amore inebriat.* S. Auguſt. ſerm. 41. in append. de div. *Ecce pro impio pietas flagellatur; pro ſtulto ſapientia illuditur; pro mendace veritas necatur; damnatur Iuſtitia pro iniquo; miſericordia affligitur pro crudeli; inebriatur felle dulcedo; abjicitur innocentia pro reo; moritur vita pro mortuo.* S. Bonav. *Hoc inexcogitabile eſt, quòd morte, quæ ſibi inferebatur, liberaret inferentes à morte; cùm propter hoc debuiſſet fortius, vel potiùs ſecundùm humanum judicium, nos omnes æternâ morte condemnare, hoc ipſo, quòd à nobis, & occaſione noſtri fuiſſet tam vili & crudeli morte occiſus.* §. 2. *Variæ mirabiles circumſtantiæ Paſſionis Chriſti.*

O ſi hæc myſteria ita meditaremur, quomodo Anonymus quidam Martyr illa meditatus fuit, de quo Th. Cantipr. l. 1. apum, c. 25. §. 7. refert: Quòd cùm captus, gentili cuidam tyranno ſerviret, & humaniſsimè ab illo tractaretur, nihilominus ſemper gemebundus incederet, rogatus cauſam triſtitiæ, reſponderit: *Semper triſtis incedo, quia memor mortis DEI mei, continuè in corde meo ejus Paſſionis ſtigmata porto.* Hoc ut tyrannus audivit, dixit, *Experiar quæ dixiſti.* Nec mora! ô rem miram! aperto pectore martyris evellitur cor, ſcinditur per medium; & ecce, pro ſigillo pars una cordis, pro impreſsione, ſive molli cera; pars altera cordis, crucifixi Chriſti imaginem continens reperitur. Quo viſo, tyrannus converſus credidit, & baptiſma ſuſcepit. Novus ex tyranno Longinus, qui dum cor Chriſti aperuit, ſubitò fuit converſus. Auditores amantiſsimi, ſcindamus corda noſtra, ut videamus, an in illis quoque reperiatur imago Crucifixi: quæſo, inſculpite, imprimite profundiùs: ut nos vivificet, ut nos roboret, ut nos venuſtet, §. 3. *Pium Votum Auctoris.*

ſtet, ut nos per mortem ſuam liberet ab æterna damnatione.

§. 4. *Quia mirabilis? quàm quòd crux fuerit currus triumphalis.*

Mirabilis paſsio! mirabilis crux, in qua Chriſtus ſuſpenſus fuit! Crux appellatur *patibulum*, tum ob exceſsivum tormentum, quo torquentur crucifixi, tum ob ignominiam, quâ afficiuntur; & tamen S. Cyprianus Chriſtum in cruce patientem his verbis affatur, l. de paſſ. *Admiror te Cruci inter damnatos affixum; jam nec triſtem, nec pavidum, ſed ſuppliciorum victorem, elevatis manibus triumphantem.* Ipſe namque in cruce, cum tanta mentis ſerenitate, talique interiori jubilo pendebat, acſi in curru quodam triumphali poſitus fuiſſet. Mirabilis paſsio! per quam mortis inſtrumentum tranſmutavit in inſtrumentum immortalitatis. S. Cypr. ib. *Elevatum in ſublimi, & quaſi cœlo proximum, conſummati agonis vexillum, ſuperioribus inferentem: & inferioribus erexiſſe ſcalam in Patris occurſum.* Pro cunctis namque futuris ſæculis, crucem ſequacibus ſuis ſervire voluit, veluti ſcalam, per quam aſcendant in cœlum.

§. 5. *Paſſio Chriſti mirabilis! propter admirabiles virtutes.*

Mirabilis paſsio! in quâ juxta S. Bernardum de paſſ. ſupra omnes, tres ſpecialiter emicuerunt virtutes; *In opere patientia, in modo humilitas, in cauſa charitas.* Eaſque repetens, ſubjungit: *Patientia ſingularis; humilitas admirabilis; charitas inæſtimabilis;* ligari, alapari, conſpui, pedibus conculcari! &c. patientia ſingulis, ſingularis! quia talia! ſingularis, quia à talibus! ſingularis, quia DEI Filius talia patitur. Eundem Barabbæ poſtponi! humilitas admirabilis! eundem nudum affigi cruci! eundem pendere inter latrones; humilitas admirabilis! quia Rex Regum, & DEus Majeſtatis ita fuit humiliatus.

§. 6. *S. Bonav. S. Auguſt. S. Paulus, non potuerunt æſtimare, vel comprehendere charitatem, quâ Chriſtus pro nobis mortuus eſt.*

Quid dicemus de charitate, ex qua Filius DEI talia paſſus eſt? dicamus eſſe inæſtimabilem; quia ſub in cœlis & in terra nullum poterit reperiri pretium, quo æſtimetur. Certè S. Bonav. illum ſatis æſtimare & comprehendere non potuit; ideo exclamavit: *Quid feciſti Domine? quare pro me viliſſimo aſcendiſti in Crucem? & quid ſum ego viliſſimus vermis, putredo deteſtabilis, pro quo tu Dominus omnium debeas ſic affligi, cùm tu ſis ſapientia Patris.* Illam vehementiam charitatis ſatis æſtimare & comprehendere non potuit

S. Aug.

S. Aug. ideo dixit l. med. c. 16. *Cùm magnum ſit, gratis ſua aliquem alicui conferre; multò magis certè eſt, ſemetipſum impendere; & cùm magnæ charitatis ſit, animam pro amicis ponere, multò majoris charitatis indicium eſt, pro inimicis ponere, quod Filius DEI pro nobis fecit; nam cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus per mortem Filii ejus. Ad Rom. 5. v. 7. pro impiis mortuus eſt.* Ad Eph. 2. v. 4. *Eramus naturâ filii iræ; DEVS autem, qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, quâ dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto.*

Verbum *convivificavit*, revocat mihi in memoriam verſum 7. pſalmi 1 1. in quo David in perſona Chriſti ait: *Similis factus ſum pelicano ſolitudinis.* Pelicanus nidum ſuum conſtruere ſolet in terra, ideo pulli frequenter à ſerpentibus letaliter mordentur; ſed Pelicanus, veluti expertus medicus, roſtro ſuo ſibi aperit pectus, & ſuper illos copioſum effundens ſanguinem, eoſdem revivificat, licèt ipſe ex inflicto ſibi vulnere moriatur. Hanc tamen dilectionem exhibet Pelicanus ſuis pullis, à quibus nunquam fuit offenſus; Chriſtus D. verò pro inimicis ſanguinem ſuum effudit, ut illis vitam reſtitueret. Quis hanc charitatem poteſt ſatis admirari? *Hoc ſummæ clementiæ fuit, quòd nos juſtificavit merito ſuæ Paſſionis, quæ procreata eſt à nequitia noſtra, & merito nequitiæ noſtræ*, inquit S. Bonav. §. 7. *Miraculum naturæ in Pelicano.*

Hanc circumſtantiam videtur habuiſſe præ oculis S. Petrus Chryſol. ſer. 108. cùm in perſona Chriſti nos ita alloquitur: *Sed fortè vos Paſſionis meæ, quam feciſtis, magnitudo confundit? Nolite!* (arrigite Auditores aures, & audite, quàm mirabilis ſit Paſſio Chriſti D. N.) Ita loquitur: Crux hæc, non meus, ſed mortis eſt ſtimulus. „ Clavi iſti, non mihi infligunt dolorem, ſed veſtram mihi infigunt altiùs charitatem. Vulnera hæc non meos educunt gemitus, ſed „ magis vos meis viſceribus introducunt; extenſio corporis mei, „ vos dilatat in gremium, non meam creſcit in pœnam. Sanguis „ meus non mihi deperit, ſed veſtrum prorogatur in pretium. „ Venite ergo, redite, & vel ſic probate Patrem, quem videtis pro „ malis bona, pro injuriis amorem, pro vulneribus tantis, tantam „ reddere charitatem. Quis non exclamet? *Mirabilis Paſſio D. N.* §. 8. *Apoſtrophe Chriſti D. pendentis in Cruce ad mortales.*

Digitized by Google

IESV Chriſti! ob tam mirabiles effectus, qui noſtro judicio prorſus ſibi videntur contrarii, ut mors perimat mortem, ut vulnera ſanent, &c. (fiat p. repetitio.)

§. 9. *Calx accenditur per aquam; parimodo amor Chriſti.*

Miratur S. Auguſtinus naturam calcis, quæ tunc magis accenditur, quando ſuper illam abundans aqua affunditur, ſubditque: *Quàm mirum eſt, quòd cùm extinguitur, tunc accenditur*. Cùm igitur aquis tormenta Chriſti aſsimilentur, juxta illud Pſalmiſtæ, pſ. 68. v. 2. *Intraverunt aquæ uſque ad animam meam: veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* Verè in Chriſto ad literam adimpletum fuit, quod in Canticis dicitur, c. 8. v. 7. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*; quia quantò atrociora tormenta illi illata fuerunt, tantò ipſe in dilectione magis efferbuit; eò uſque, ut pro inimicis etiam oraverit.

§. 10. *Chriſtus D. cœleſtis fuit Hercules.*

Mirabilis paſsio! admirabilis amor! Narrat Servius de Hercule, illo tot monſtrorum domitore, quòd adeo adamarit Iolem, ut eâ jubente clavam, & leonis exuvium deponeret, & neret, & ſcuticas ſibi ab illa infligi pateretur, fœdus amor mirabilis! mirabilior DEI amor, qui cùm verborum capax non eſſet, talem induit naturam, ut verberari poſſet. Depoſuit clavam, & exuvias leonis, id eſt, divinæ Majeſtatis, & impaſsibilitatis amictum; & ideo in dorſo ſuo pertulit innumera verbera. B. Laur. Juſt. de triumph. Chr. ag. cap. 19. *Ex paſsionis immenſitate amoris magnitudinem declaravit: niſi enim tenerrimè ardenterque diligeret, doloris nimietatem tolerare non poſſet. Vincebat planè in illo, atque ſupereminebat mortis ſupplicium amoris magnitudo; proinde ex conſideratione mortis & pœnæ charitatis illius affectus notus efficitur.*

§. 11. *Amor fuit præcipua cauſa finalis redemptionis.*

Quæri ſolet à SS. Patribus, quænam fuerit præcipua finalis cauſa tam mirabilis paſsionis; ſive, quare Chriſtus D. tam atrocia voluerit pati tormenta? dicetis, ut humanum genus redimeret; dicetis, ut ſatisfaceret pro noſtris peccatis; dicetis, ut nos liberaret à tam immani ſervitute, &c. Omnia mihi placent; ſed placet quoque pia & amoroſa cogitatio S. Chryſoſtomi t. 3. f. 6. in fer. 5. paſſ. de amore Chriſti: *Hæc prima cauſa eſt Dominicæ Paſsionis*,

Digitized by Google

nis, quia ſcire voluit, quantum amaret DEVS hominem. Circa quam circumſtantiam hoc notandum eſt, quod legitur in Vita S. Catharinæ Senenſis, ſcilicet, ſolitam illam fuiſſe dicere: Meliorem de Chriſti D. paſſione meditationem inſtitui non poſſe, quàm ſi quis ſeriò ad amorem ſe reflexerit, cum quo Chriſtus D. pro nobis paſſus eſt. Id quod ipſemet Salvator eandem Virginem docuerat; cùm enim ipſâ die quodam Sponſum ſuum more ſibi conſueto amabiliter interrogaſſet: *Quamobrem ſibi poſt mortem latus ſuum aperiri, tantamque ſanguinis copiam effundere voluerit?* Chriſtus eidem reſpondit: *Multas fuiſſe rationes, hanc vero præcipuam, ut per lateris ſui aperturam ſecretum cordis ſui homini manifeſtaretur; indeque ediſceret, ubinam eſſet fons timoris, quo fuit paſſus, ſcilicet in corde;* Itaque Chriſtus D. & S. Catharina, meo judicio, hoc nos voluerunt docere, ut cùm v. g. meditamur dolores flagellationis, ſemper ſimul per vulnus lateris inſpiciamus cor Chriſti, cum hac reflexione, quo amore exceperit verbera & vulnera flagellationis. (Hoc modo poterit fieri affectuoſiſsima inductio.)

§. 12. *Amor Chriſti, & præcipuè effuſio ſanguinis ejus, in nobis mutuū accendit amorem.*

P. Salmeron t.3. tr.36. ait: *Ad exaggerandum amorem, quem erga aliquem gerimus, conſuevimus dicere: Darem libram ſanguinis mei pro vita ejus.* Quid dicemus, quem conceptum formabimus de charitate, quâ Chriſtus D. nos dilexit, qui totum ſuum ſanguinem pro nobis dedit? Hic amor à Viris ſanctis meditatus, eoſdem ingenti ſemper amore erga Chriſtum D. accendit. Unde S. Bernardus ſerm. 20. in Cant. ait: *Super omnia reddit te amabilem mihi, bone IESV, calix quem bibiſti redemptionis.* Et S. Aug. lib. med. c.16. Magna & multa, imò inenarrabilia ſunt, „ quæ mihi Domine DEus contuliſti beneficia, pro quibus mihi „ diligendus, & ſemper es laudandus. Unum autem eſt, quod „ me plus omnibus accendit, urget, movet, & promovet, ad te „ diligendum ſuper omnia, amara mors quam ſuſtinuiſti, opus „ noſtræ redemptionis. Hoc ſolum, vel hoc omnino, totam „ vitam noſtram, totum laborem noſtrum, totum obſequium „ noſtrum; amorem denique noſtrum, facilè ſibi vendicat; to- „

Digitized by Google

tum hoc eſt, quod devotionem noſtram & excitat meliùs, & „ quærit ſuaviùs, & auget ampliùs. De quibus myſteriis cùm Chriſtus D. locutus fuiſſet diſcipulis euntibus in Emaus, dixerunt Luc. 24. v. 32. *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis?* S. Bonaventura ſtim. amoris c. 2. Tu quoque, -- quantò ferven- „ tiùs diliges eum, tantò magis ſuæ compatieris paſſioni, & „ quantò plùs ei compatieris, tantò plus erga eum tuus accende- „ tur affectus.

§. 13. *Pia petitio ad IESVM Crucifixum* Utinam imitaremur piiſsimum Religioſum Vener. Hieronymum Æmilianum, Religionis de Damaſchii fundatorem, de quo refert Bollandus 8. Febr. f. 229. illud identidem uſurpabat, ut charitatis fervore, divinique amoris æſtu exundante, ad ſanctiſſimum Crucifixum convolaret, ejuſque pedes arctè complexus, enixè deprecaretur, ut quando ſe ipſum æterno Patri, pro totius mundi ſalute, effuſo ſanguine, immaculatam hoſtiam in ara Crucis litaſſet, ſibi etiam miſero peccatori, tam pretioſi ſanguinis ſacrificium ſalutare eſſe præciperet; hæc verba ſæpe ingeminans: *Dulciſſime IESV, non ſis mihi Iudex, ſed Salvator.* (Fiat ſuavis affectus.)

RIVULUS MELLIS QUARTUS,
ſtillans cum ſanguine de ſpinis Chriſti coronati,
ſive

EXHORTATIO IV.

PRO MENSE APRILI.

THEMA.

Ut ſugeret mel de petra, Deuter. 32. v. 13.

SYNOPSIS.

SYNOPSIS.

OStendit hæc Exhortatio, JESUM crucifixum eſſe librum, ex quo altiſſima addiſcitur ſapientia.

§. 1. Ex quo libro Seraphicus Doctor S. Bonaventura didicerit tantam ſapientiam.

§. 2. Paſſio Chriſti eſt quidam liber vitæ.

§. 3. S. Andreas piſcator, quantus Doctor? in ſchola ſanctiſſimæ Crucis.

§. 4. Variæ comparationes, inter librum compingendum, & Chriſtum paſſum.

§. 5. Quales in hoc libro reperiantur characteres.

§. 6. Encomia hujus libri ex Lud. Bloſio.

§. 7. Proſecutio ex B. Laurentio Juſtin.

§. 8. In libro Crucifixi reperiuntur exempla omnium virtutum.

§. 9. Exemplum S. Thereſiæ.

§. 10. Epilogus.

LAudo Sodales Chriſti in cruce agonizantis, quòd ſolliciti ſint, ut habeant libellos devotiſſimarum precum, quibus in exercitio orationis, meditationis & contemplationis ſe ſe poſſint exercere; in hunc finem aliquibus placent libelli myrrhæ, hortuli roſarum, paradiſi animæ: aliis placent ſcintillæ, pharetræ, vel ſagittæ divini amoris, fonticuli aquarum viventium, & aurea thuribula ſuaviſſimi thymiamatis. Placet audire, quis libellus mihi placeat, præſertim pro Sodalibus agoniæ? Antequam id Vobis aperiam, audite, quid contigerit Angelico Doctori, S. Thomæ Aquinati. Uno eodemque tempore, in Univerſitate, & una Urbe Pariſienſi, vixit cum Seraphico Doctore S. Bonaventura; cujus profundiſſimam ſcientiam, cùm admiraretur S. Thomas, convenit ipſum, & petiit ſibi oſtendi bibliothecam, ut videret libros, ex quibus tam multiplicem, atque adeo magnam eruditionis ubertatem hauriret. S. Bonaventura Chriſti D. cruci affixi imaginem demonſtravit, è quo fonte uberrimo ſe accipere profeſſus eſt, quidquid vel legeret, vel ſcriberet. In

§ 1. Ex quo libro S. Bonaventura tantam didicerit ſapientiam.

libello, quem appellavit ſtimulum amoris divini, claris verbis ait cap. 12. *Nihil ſcio in hoc mundo, quod tantum ad DEVM ſapiendum illuminet, ſicut Paſſio IESV Chriſti. Hic verè invenitur ſcientiæ plenitudo.* S. Aug. tr. 119. in Joan. ait: *Lignum illud, ubi fixa ſunt membra morientis, etiam cathedra eſt Magiſtri docentis.* Alii SS. PP. hoc lignum, ſive Chriſtum crucifixum vocant *Librum*, & bene, quod paucis oſtendam.

§. 2. *Paſſio Chriſti eſt quidam liber vitæ.*

Primo loco adduco teſtimonium Ludolphi Carth. p. 2. c. 58. *Frequens Paſſionis memoria indoctum reddit doctiſſimum, imperitos & idiotas facit proficere in magiſtros; magiſtros inquam, non ſcientiâ quæ inflat, ſed charitatis quæ ædificat; ipſa eſt velut quidam liber vitæ, in quo omnia ſaluti neceſſaria inveniuntur. Felix, qui ejus ſtudio ſeriosè intendit, quia in contemptu mundi, & in amore DEI proficiet, cunctarumque virtutum ac gratiarum incrementum ſumet.*

Andreas piſcator, quantus Doctor in ſchola Crucis.

Quòd indocti fiant Magiſtri, patet exempli gratia in S. Andrea Apoſtolo; piſcator fuit, nihilominus Vita de ipſo ait: *Biduò vivens in cruce pro Chriſti nomine, liberè docuit populum, & audacter de Chriſto prædicavit, quòd pro ſalute humani generis ſe crucifigendum obtuliſſet.* Quiſquis hanc doctrinam callet, quiſquis hanc veritatem examinat, quòd Chriſtus pro nobis in cruce mortuus ſit, doctiſſimus eſt. In hac veritate inveniuntur omnia ſaluti neceſſaria. Felix qui, &c. Materia diſcendi non deeſt. S. Petrus Dam. ſerm. de Invent. Crucis: *Quæ eſt ſacri eloquii pagina, quæ Crucis myſterium non redoleat? & ad hoc, quaſi ad totius humanæ ſalutis caput, atque principium non intendat?* Unde S. Bernardus dicere fuit ſolitus: *Hæc mea ſublimior Philoſophia, ſcire IESVM, & hunc Crucifixum.*

§. 4. *Variæ comparationes inter librũ compingendum, & Chriſtum paſſum.*

Porro Chriſtum crucifixum S. Joanni in Apocalypſi fuiſſe repræſentatum ſub figura libri, patet ex ipſiuſmet verbis cap. 5. v. 1. *Et vidi in dextera ſedentis ſuper thronum, librum ſcriptum intus & foris, ſignatum ſigillis ſeptem.* Hugo Card. *Liber hic eſt Chriſtus, ſignacula ſeptem, opera noſtræ redemptionis.* Et c. 13. in Apoc. v. 8. *In libro vitæ Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi.* Addit S. Hier. *Hic eſt*

Digitized by Google

eſt liber ſcriptus intus & foris. Aſpicite & conſiderate bene hunc librum. Liber cùm compingitur, variis modis & vicibus ligatur, & ſtringitur; ſic quoque Redemptor noſter multis vinculis, funibus & catenis fuit ligatus; ligatus v.g. fuit in horto, ligatus in domo Annæ & Caiphæ; ligatus fuit in nocturno carcere; nunquam duriùs, ſicut in flagellatione ad columnam. Arctè ligatus fuit in bajulatione crucis; atrociſſimè cùm cruci fuit affixus. Liber cùm compingitur, fortiter malleo percutitur; ita quoque Chriſtus D. innumeris verberibus & percuſſionibus fuit ſubjectus. Animæ piæ, fuiſtiſne hâc nocte in domo Caiphæ in nocturno carcere? numeraſtiſne alapas, &c. (poteſt fieri pathetica deſcriptio.) Poſtquam liber compingendus ligatus & percuſſus eſt, premitur adhuc, & ſtringitur in torculari; de quo Chriſtus D. conqueritur Iſ. 63. v. 3. *Torcular calcavi ſolus.* Denique talis liber debet adhuc ſcindi; huc veſtros oculos ad JESUM Crucifixum, cernite, numerate vulnera, quibus ſciſſus eſt, ut bene dicatur: *Scriptus intus & foris.*

Modum ſcriptionis, ſive quales in hoc libro ſint characteres, affectuosè deſcribit Cæſarius: *Librum hunc ipſe Chriſtus ſcripſit, quia propriâ voluntate paſſus eſt.* Horribilia paſſus eſt, ſed propriâ voluntate. Deſideratis audire breviſſimam ſynopſin Paſſionis. Heri veſpere in horto horribilem paſſus eſt agoniam! propriâ voluntate; ita voluit, ipſe ſcripſit hunc librum. (Sic perge per præcipua myſteria Paſſionis, ut tota breviter per conglobationes revocetur Auditoribus in memoriam.) Itaque Chriſtus D. eſt ſcriptor libri. Character eſt varius: *In pelle ſiquidem corporis ejus ſcriptæ erant literæ minores & nigræ per lividas plagas flagellorum: literæ rubræ & capitales per infixiones clavorum; puncta & virgulæ per punctionem ſpinarum; pellis eadem priùs fuerat multiplici perſecutione punicata, colaphis & ſputis cretata, arundine lineata, &c.* Poſt quæ exclamat idem Cæſarius l. 8. c. 35. *O quantum legere deſiderabat Iob in libro Paſſionis Chriſti, quando dicebat: Quis mihi tribuat, ut deſiderium meum audiat Omnipotens, & librum ſcribat ipſe, qui judicat, ut in humero meo portem illum, & circumdem illum quaſi coronam mihi.*

§. 5. *Quales in hoc libro reperiantur characteres.*

Hoc

Hoc meum hodie deſiderium eſt, ô mi amantiſſime JESU! Liber paſſionis ait v.g. te ſudaſſe ſanguinem, mi JESU: hoc tu ſcribe in corde meo, (ſic perge per alia myſteria cum piiſſimis deſideriis.)

§. 6. *Encomia hujus libri ex Ludov. Bloſio.* Audite modò teſtimonium Ludovici Bloſii in concl. am. c.12. §.9. n.1. *Vita Chriſti liber eſt admodum præclarus, doctis & indoctis, perfectis atque imperfectis, qui DEO placere cupiunt, communis.* Alii libri tales ſunt, ut ſerviant certis ſcientiis, v.g. Matheſi, &c. Liber Chriſti crucifixi univerſalis eſt; & ideo in medio terræ, in monte Calvariæ, in luce meridiana toti mundo fuit expoſitus: Qui bene terit hunc librum, efficitur eximiè ſapiens, facileque adipiſcitur peccatorum veniam, pravorum affectuum mortificationem, mentis illuminationem, conſcientiæ pacem & tranquillitatem, firmamque erga DEUM cum vera dilectione fiduciam. Etiamſi codices omnes, qui toto mundo habentur, intercidiſſent, Vita & paſſio Chriſti Chriſtianis omnibus ſufficiet, ad virtutem omnem, & veritatem perdiſcendam.

§. 7. *Proſecutio ex B. Laur. Juſtin.* Piè quoque & eleganter B. Laurentius Juſtinianus ait in triumph. Chriſti ag. c.20. Liber autem hic non ſermone compoſito, vel humanæ ſapientiæ exaratus eſt verbis, ſed hominum interveniente malitiâ, digito DEI ſcriptus. Nempe ſævientibus Gentilibus & Judæis, depictus eſt foris, virtute autem & ſapientiâ Chriſti formatus eſt intus. Habet foris ſimplex & indoctus, quod legat; habet ſpiritualis & perfectus, quid intus intelligat. Innumera prorſus ſub hoc carnis velamine latent ſacramenta; quæ à ſpiritualibus ſpiritualiter dijudicanda ſunt. Legit ſimplex, & lætificatur, atque compungitur; exercitatus verò intelligens irradiatur, atque accenditur. Quiſnam niſi ſapientia doctrix poterat paucis tam multa colligere? charitatis compendium, perfectionis celſitudinem, virtutum normam, & totum humanæ redemptionis modum, ordinemq; in hoc corporis ſui concluſit volumine. Quamobrem cùm ſcribere compleſſet, nilq; ſupereſſet ſcribendum, dixit: *Conſummatum eſt.*

Unde non miror, glorioſum Apoſtolum S. Paulum, quem Lud. Carth. ita alloquitur: Felix ô glorioſum lumen Eccleſiarum, qui

qui arcanum Divinitatis attingens, abyſſum claritatis divinæ pu „
rioribus oculis intuendo introiſti, ac verba, quæ non licet homi- „
ni loqui, audiſti; & tamen ad ima deſcendens, affectu quodam „
mellito, ob paſſionis hujus præconium, de cordis theſauro eru- „
ctaſti, dicens: Nihil arbitratus ſum me ſcire inter vos, niſi JESUM „
Chriſtum, & hunc crucifixum.

Fructus harum conſiderationum ſunt eximii. Agnovit S. Bern. cùm dixit ep. 143. *Qui ſe intentè & devotè in ſanctiſſima vita & Paſſione Domini exercet, omnia utilia & neceſſaria ſibi abundanter ibi invenit; nec opus eſt, ut extra IESVM aliquid quærat.* Agnovit S. Bonav. dicens: *Nihil magis nos incitat* - ad amandum DEUM, - *quàm tanta benignitas, quâ pro nobis altiſſimus DEI Filius*, abſque noſtris meritis, *imò, cum multis noſtris demeritis, poſuit animam ſuam.* Piè S. Thomas: *In quâcunque tribulatione invenitur remedium ejus in cruce. Ibi enim eſt obedientia ad DEVM; humiliavit ſemetipſum, &c. Ibi affectus pietatis ad parentes; unde ibi geſſit curam de Matre ſua. Item charitas ad proximum, unde ibi pro tranſgreſſoribus oravit. Fuit ibi patientia in adverſis, obmutui, & humiliatus ſum. Item finalis perſeverantia, unde uſque ad mortem perſeveravit. In cruce, veluti libro, invenitur exemplum omnis virtutis.* Ideo S. Ludvvina, inſtar S. Jobi, acerbiſſimis doloribus, febribus, ulceribus, vulneribus à DEO exercita, cùm miſeram ſortem deploraret, à pio Sacerdote correpta, edoctaque, multâ commentatione atque meditatione Dominicæ Paſſionis, ad ſanctitatis pervenit apicem. Liber tantæ doctrinæ fuit illi Chriſtus crucifixus. S. Ephrem, *Illuminatur anima, paſſiones Chriſti aſſiduè verſans.*

§. 8. *In libro Crucis reperiuntur exempla omnium virtutum.*

Utinam B. Thereſiam imitaremur, quæ de ſe ipsâ ait: *Quâdam die ingrediens Oratorium, erat ibi noviter allata imago, repræſentans IESVM totum vulneratum, & plagis opertum; ſtatim ac eam vidi, tota in me turbata fui, videns Dominum meum tali modo afflictum; mihi enim vivâ apprehenſione repræſentabatur, quidquid pro me paſſus fuerat; & ſenſi tantum dolorem ex plagis ejus, ut cor meum videretur in duas ſcindi partes. Tum projeci me ad pedes ejus, cum magna lachrymarum copia, ſupplicans ejus pietati, ut placeret illi ex tunc, tantâ*

§. 9. *Exemplum S. Thereſiæ.*

me fortitudine corroborare, ut ampliùs eum non offenderem; ſed & petii gratiam, quâ poſſim omnes pravas meas inclinationes, & habitus vitioſos ſuperare & extirpare; videor mihi quoque tunc dixiſſe, me à pedibus ejus non ſurrecturam, niſi daret, quod obſecrabam; & hoc mihi valde profuit, quia exinde cœpi me emendare, & in gratiâ & obſequio DEI ſolidior eſſe. Legite quæſo animæ piæ in libro Jesu crucifixi ſimilia exempla, ut & vos, &c.

§. 10. Epilogus. Quæritis Paradiſum animæ? quærite in libro Chriſti crucifixi. Hîc reperietis paradiſum. (hoc modo perge affectuosè per titulos aliorum libellorum, v. g. quæretis Hortulum, Roſarium, &c.)

RIVULUS MELLIS QUINTUS,

ſtillans cum ſanguine de Cruce Chriſti, ſive:

EXHORTATIO V.

PRO MENSE MAJO.

THEMA.

Ut ſugeret mel de Petra. Deuter. 32. v. 13.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

Memoria paſſionis facit nos contemnere delitias hujus mundi; imò amara reddit dulcia.

§. 1. *Offert iterum libellum, ſive Chriſtum crucifixum.*

§. 2. *Qui efficit, ut contemnamus mundum, ejuſque delicias.*

§. 3. *Patuit in S. Eliſabetha Regina Hungariæ.*

§. 4. *Et Margrrita Regis Hungariæ filia.*

§. 5. *Crux Chriſti adverſatur delitiis hujus mundi.*

§. 6. *Memoria IESU crucifixi efficit,*

ficit, ut contemptis delitiis, etiam aſpera libenter toleremus.
§. 7. Teſtimonium S. Bernardi.
§. 8. Heroicum exemplum S. Eulaliæ, & S. Agnetis.
§. 9. Pulchra figura ſanctiſſimæ Crucis.
§. 10. Crucis indulcorationem expertæ fuerunt S. Catharina Senenſis, & S. Ludgardis.

SOdales amantiſſimi! meminiſtiſne adhuc libelli, ſive Crucifixi, quem in priori Vobis obtuli exhortatione? Rurſus eundem inſpicite! legite: hic liber, ſive Chriſtus D. cruci affixus, docebit Vos contemnere mundi hujus divitias, voluptates, pompam & gloriam; ut ita Vos ad ſanctam præparetis mortem. *§. 1. Offert iterum libellū, ſive Chriſtū crucifixum.*

Eleganter Auctor Anonymus: *Horrebant homines, quidquid aſperum, quidquid humile, & abjectum erat: colebant, ſuſpiciebant, & laudabant ſolùm gloriam, divitias, voluptates: & ecce, dum DEI Filius Crucem aſcendit, dum contemptum, paupertatem & dolorem amplexus eſt, vaniſſima illa gentium dogmata omnia corruerunt. Effecit Chriſtus, ut mundus coleret paupertatem, humilitatem, contemptum, vitæ paupertatem, obedientiam, patientiam, caſtitatem: Filii hujus ſæculi, currentes per prata hujus mundi, exclamant,* Sap. 2. v. 8. *Venite, coronemus nos roſis; ſed aſcendite montem Calvariæ, Crucifixum perpendite, & dicetis cum S. Bernardo: Non decet ſub capite ſpinoſo membra eſſe delicata.* Idem Bernardus poſtquam Chriſti crucifixi feciſſet memoriam, admirabundus exclamat: *Quis delitias, ſeu gloriam ſuſtinere queat, ne dum audeat? Chriſtus flagellatus eſt, ſpinis coronatus eſt, cruci affixus! & hæc intuens, qui dicitur Chriſtianus, propriis nihilominus voluptatibus indulgere, & florere velle in ſæculo nullatenus erubeſcit?* Procul hæc ab illis, qui ſtudent in libro Crucifixi. *§. 2. Quis effecit, ut contemnamus mūdum, ejusq; delitias.*

De S. Eliſabetha Regina Hungariæ, in hæc verba ſcribit Surius: Cùm Eliſabeth pretioſis ornata veſtibus, auream capite geſtans coronam, ac familiâ frequenti ſtipata, rebus divinis interfutura, templum eſſet ingreſſa, primo intuitu Crux Dominica, occurrens, & ex ea pendens imago Salvatoris, eam compunxit; *§ 3. Patuit in S. Eliſabetha, Regina Hungariæ.*

compunctæ lachrymas excuſſit, lachrymanti talia cogitanda „ ſuggeſſit: En Creator & Redemptor meus, nudo corpore, meâ „ causâ ignominioſam in cruce mortem oppetiit. At ego miſera, „ gemmis, auro, byſſo, & purpurâ contecta, vitam cœleſtibus in- „ dignam beneficiis, perdo magis, quàm ago; Illius caput intra Pi- „ lati ædes ſpinea corona diſpunxit, meum verò aurea venuſtas. „ Illum ab amicis & diſcipulis deſertum, Judæorum vallarunt op- „ probria, me numeroſâ circumdatam familiâ, cuncti mirantur, „ ſuſpiciunt, honorant. Cùmque hæc meditaretur, efferveſcens in „ ſpiritu, in terram velut mortua corruit. Hocque ſanctitatis ejus „ fuit exordium. Marito mortuo, regiis delitiis valedixit, Chriſti „ amplexata crucem & ſpinas. Hoc efficit Chriſtus crucifixus.

§. 4. *Et Margarita, Regis Hungariæ filia.*

De S. Margarita pariter Ungariæ Regis filia, idem Surius refert, quòd cùm quadriennis eſſet, Crucifixum quendam conſpiciens, ſororem ſuam interrogaret, quidnam imago illa ſignificaret; ipſaq; reſpondente, quòd Filium DEI repræſentaret, qui pro ſalute & redemptione noſtrâ in crucem ſuffixus fuit; confeſtim ipſa, expanſis tenellis brachiis ſuis accurrit, ut illum pectori ſuo firmiter aſtringeret; & coram Crucifixo proſtrata, eundem adorans & oſculans, exclamavit, dicendo: *Domine mi! me tibi committo.* Talia efficit JESUS crucifixus! imitare has filias JESU crucifixi! & ſanctè morieris!

§. 5. *Crux Chriſti adverſatur delitiis hujus mundi.*

Eleganter S. Maximus de Paſſ. & cruce, hom. 1. *Ex quo Chriſtus D. relegatus eſt ad crucem,* (alludit ad Ulyſſem, alligatum malo in navi, ne deceptus dulci cantu Syrenum, in mare ſe præcipitaret,) *omnia illecebroſa mundi diſcrimina, velut clauſâ aure tranſimus, nec curſum melioris vitæ deflectimus in ſcopulos vanitatis.* Non bene conveniunt conſolatio carnis, & meditatio Dominicæ Paſſionis. *Crux Chriſti voluptati adverſatur, & voluptas cruci.* Cùm S. Philippo Nerio graviter ægrotanti dulcis offerretur potus, abundantiſſimè flevit, dicens: *Tu mihi Chriſte è ligno pendes! & mihi delitiæ offeruntur?* præ lachrymarum ubertate bibere non potuit. Talia efficit JESUS crucifixus! ſequere eundem, & ſanctè morieris.

Digitized by Google

Imò memoria JESU crucifixi longè eſt adhuc efficacior, neque enim efficit tantùm, ut delitias contemnamus, ſed plurimùm ad hoc confert, ut dura & aſpera lubenti animo ſuſtineamus; quæ tolerantia optima ad ſanctam mortem eſt diſpoſitio. S. Greg. M. *Si Paſſio Chriſti ad memoriam revocatur, nihil adeò durum eſt, quod non æquanimiter toleretur.* Horruit ille Religioſus durum & aſperum panem, ſed poſtquam Chriſtus D. illum pectori ſuo admoviſſet, ait hiſtoria: Quid mirum? hordeaceus panis auſteri Ordinis, melleâ Chriſti lateris profuſione linitus eſt. *Ideo* (B. Laur. Juſt.) *erigamus omnes nos, qui Chriſto elegimus militare, mentis oculos in Crucem Domini, cùm tentamur, & leve exiſtimabimus, quod toleramus in comparatione illius.* *Super verba, quibus Scriptura ait de S. Stephano, cùm lapidaretur, Vidit IESVM ſtantem à dexteris virtutis DEI,* cum emphaſi addit gloſſa, *Ad confortandam Martyris patientiam cœlum panditur, & ne homo lapidandus titubet in terra, DEVS homo olim crucifixus, apparet in gloria.* Uti elephantes aſpectu ſanguinis accenduntur ad prælium; ſimili ratione ad aſpectum & conſiderationem ſanguinis Chriſti, bellantes accendimur ad tolerandum omnia adverſa. Taulerus de vita & paſſ. c. 20. *Quis enim non ad humilitatem, ad patientiam, ad amorem accendatur, ubi advertit, quàm humiliter Dominus* DOMINORUM, *qui judicaturus eſt vivos & mortuos, coram vili ſteterit homuncione, ab eodem condemnandus ad mortem, tantâque cum patientiâ omnem illam injuriam, probra, confuſionem, contemptum & ignominiam perpeſſus ſit? Et tamen nos miſeri vix verbulum amore DEI tolerare poſſumus.* Unde meritò S. Antoninus ait: *Qui intra ſe ipſum fluctuat, adverſitate preſſus, ut ad meliora conſurgat, & boni operis greſſum in veritate figat, Chriſtum paſſum ante mentis oculum ponat.* Rabanus l. 7. in Matth. *Patitur Chriſtus omnia pro nobis, ut ſicut Petrus hortatur, Chriſto in carne paſſo, nos eâdem cogitatione armemur, atque ad toleranda pro nomine ipſius irriſionum probra præparemur.* S. Bern. ſerm. 43. in Cant. *Si ante oculos habueritis, quem portatis, (Chriſtum crucifixum) videntes anguſtias Domini, pro certo leviùs veſtras tolerabitis.* Sæpiſſimè jam audiviſtis aureum illud teſti-

§. 6. Memoria IESV Crucifixi efficit, ut contemptis delitiis, etiam aſpera libenter toleremus.

Digitized by Google

monium, ſive certiſſimam veritatem, ex ore S. Auguſtini prolatam in Man. cap. 22. *In omnibus adverſitatibus non inveni tam efficax remedium, quàm vulnera Chriſti; in illis dormio ſecurus, & requieſco intrepidus.*

§. 7. *Teſtimoniũ S. Bernardi.* Cùm mentionem fecerim SS. Vulnerum Chriſti D. omittere non poſſum teſtimonium S. Bernardi, ſerm. 61. in Cant. ubi de invictis Martyribus ait: *Non ſenſerunt ſua vulnera, dum Sponſi vulnera fuerunt intuiti*; tum melleum eructans flumen, ait: *Stat Martyr tripudians & triumphans, toto licèt lacero corpore, & rimante latera ferro, non modò fortiter, ſed & alacriter, ſacrum è carne ſua circumſpicit ebullire cruorem.* Sed nunquid caro illorum ænea fuit, ut non ſenſerint, cùm fuerunt dilaniati, aſſati, ſecti, contuſi, inter mille tormenta? unde contigit, ut nihilominus in cordibus ſuis Paradiſi deguſtaverint ſuavitates? audiamus iterum melleum reſponſum S. Bernardi: *Vbi tunc anima Martyris?* (habes locum pro pulchris deſcriptionibus, v. g. S. Laurentii, dum jaceret in craticula, &c.) *nempe in tuto: nempe in petra, nempe in viſceribus IESV, vulneribus nimirum patentibus ad introëundum; ſi in ſuis eſſet viſceribus ſcrutans ea, ferrum profectò ſentiret,* (ſenſiſſet S. Laur. prunas, S. Stephanus lapides, &c.) *dolorem non ferret, ſuccumberet & negaret: nunc autem in petra habitans, quid mirum, ſi in modum petræ duruerit. Sed neque hoc mirum, ſi exul corpore, dolores corporis non ſentiat; neque hoc facit ſtupor, ſed amor; ſubmittitur enim ſenſus, non amittitur; nec deeſt dolor, ſed ſuperatur, ſed contemnitur. Vnde ex petra Martyris fortitudo: inde planè potens ad bibendum calicem Domini, & calix hic inebrians quàm præclarus eſt? Præclarus inquam, atque jucundus, non minus Imperatori ſpectanti, quàm militi triumphanti.*

§. 8. *Heroicum exemplum S. Eulaliæ, & S. Agnetis.* Quis non ſtupeat inviĉtiſſimam heroinam & Martyrem Eulaliam? cùm tota dilacerata, & velut excoriata, ferreis pectinibus ſtaret; mirè anima ejus exultabat, & lætitiam facie præ ſe ferebat; unde ad cœlos oculos levans, Sponſi ſui implorabat favorem, & reflectens ſe ad ſua vulnera, dicebat: *Nunc ô mi Sponſe & Redemptor! quàm bene reſplendet in me per iſta vulnera, viva tui imago; & charaĉteres*

Digitized by Google

Literes iſti in corpore meo per ſanguinem meum exarati, quam ad vivum mihi exprimunt, & repræſentant tuam Paſſionem. Ecce fontem, ex quo ſancta Martyr hauſit aquas & torrentem cœleſtium conſolationum. Quid dicam de S. Agnete? inter tormenta ait, *Mel & lac ex ore ejus ſuſcepi; ſanguis ejus ornavit genas meas.* Etenim etiamſi ſanguis Chriſti, à vino myrrhato & aceto, & à fellis amaritudine nunquam ſeparatus ſit, attamen hæc omnia S. Agneti lac & mel eſſe videbantur, ob eximiam ſuavitatem, quam inter tormenta experiebatur, ex conſideratione Paſſionis & mortis Chriſti.

Figura hujus in illo præceſſit ligno, quod aquas amaras in dulces convertit, cujus nota eſt hiſtoria. Populus enim ab Ægyptiaca ſervitute liberatus, dum poſt Pharaonis ſubmerſionem, ad terram proficiſceretur promiſsionis, in itinere penuriam paſſus eſt aquæ, & tametſi ad aquas Maræ perveniſſet, hæ tamen ſalſæ & amaræ erant, dicente Scripturâ Exod. 15. v. 23. *Nec poterant bibere aquas de Mara, eò quòd eſſent amaræ; unde & congruum loco nomen impoſuit, vocans illum Mara, id eſt, amaritudinem. Et murmuravit populus contra Moyſen, dicens: Quid bibemus? at ille clamavit ad Dominum, qui oſtendit illi lignum, quod cùm miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt.* Quis virtutem crucis repræſentatam fuiſſe, non videt? quæ omnem indulcorat dolorum & tormentorum, quibus humana poteſt ſubjacere miſeria, amaritudinem. Non defuêre quidem, qui putarunt, lignum hoc habuiſſe naturaliter hanc facultatem indulcorandi, conformiter verſui 4. cap. 38. Eccleſiaſtici: *Altiſſimus creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa. nonne à ligno indulcata eſt aqua amara!* Placent mihi tamen magis illi, qui ad ſenſum myſticum recurrunt, v. g. S. Antoninus, dum ait: *Legitur Exodi 15, quòd filiis Iſraël in deſerto invenientibus aquas amaras, ut non poſſent bibere; miſſo ligno de mandato DEI in aquas, dulcoratæ ſunt; ut biberent delectabiliter. Aquæ ſunt tribulationes, quæ frequenter occurrunt in deſerto hujus mundi; & in ſe amaræ ſunt, ſed ligno crucis miſſo, id eſt, meditatione habitâ de Paſſione, efficiuntur dulces.* Et Dion. Carth. *Studeamus aſpera dulcorare, admiſcendo*

§. 9. Pulchra figura SS. Crucis.

Domi-

Dominicæ Paſſionis acerbitatem; quæſi rectè penſetur, omnis afflictio mitigatur.

§. 10. *Crucis indulcorationem expertæ fuerunt S. Cath. Sen. S. Ludgardis, &c.*

De S. Cath. Senenſi refert Bloſius in conclavi an. c. 2. n. 6. Domini paſſionem, (quæ licèt amariſſima, acerbiſſimaque fuerit, tota tamen charitatis dulcedine plena eſt,) adeo profundè animæ ſuæ viſceribus infixerat, & ardenti ſuavique affectu ruminare ſolita fuit, ut illa ei eſſet mel in ore, melos in aure, jubilus in corde. Huc ſpectant illa amara & ſimul mellea verba S. Greg. Naz. orat. 42. *Per paſſiones Paſſionem imitemur, crucem alacres conſcendamus; dulces ſunt clavi, tametſi valde acerbi; præſtat cum Chriſto, & pro Chriſto pati, quàm cum aliis in delitiis verſari.* Finiat chorum S. Ludgardis: Quoties illa corpore aut ſpiritu ſe afflictam videbat, toties ad Chriſti crucifixi imaginem ſe conferens, illum aliquando cum magna animi contentione contemplabatur, donec extra ſe raperetur. Tum Chriſtum præſentem cernebat, & ore ad latus ejus applicato, tantum inde dulcedinis, tantum conſolationis hauriebat, ut nullâ adverſitate concuti poſſet.

RIVULUS MELLIS SEXTUS,
ſtillans cum ſanguine de clavis Crucifixi,
ſive

EXHORTATIO VI.

PRO MENSE JUNIO.

THEMA.

Ut ſugeret mel de petra, Deuter. 32. v. 13.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

MEmoria Paſſionis Chriſti nobis aperit paradiſum: ſive, eſt pignus ſalutis æternæ, & nota prædeſtinationis.

§. 1. Oc-

Digitized by Google

§. 1. *Oratione dicti S. Ludgardis, memoria Paſſionis Chriſti comparatur Roſæ.*

§. 2. *Hac roſa nobis aperit paradiſum. Sive &c.*

§. 3. *Quia apud Chriſtum reperitur ſumma noſtra ſalutis.*

§. 4. *Cur exploratores terræ promiſſionis retulerint botrum.*

§. 5. *Inter Crucem Chriſti, & regnum cœlorum, ingens eſt connexio.*

§. 6. *Aliquid affectuoſum ex vitâ S. Philppi Nerei.*

§. 7. *Apoſtrophe ad Auditores.*

§. 8. *Non tabes, ſed fons vitæ ſcaturit ex Vulneribus Salvatoris.*

§. 9. *Magni ponderis argumentum, ad concitandam fiduciam.*

§. 10. *In Vulneribus Chriſti, ſalus & vita æterna.*

§. 11. *Memoria Paſſionis, obtinet ſanctam mortem. Ergo pignus eſt æternæ ſalutis.*

QUisquis ſerio & attentè Paſſionem & mortem Chriſti contemplatur, colligit de ſpinis uvas, & de tribulis ficus. Teſte Surio B. Ludvvina; cum Chriſti Vulnera & Dolores acutiſſimi animam ejus adeo penetraſſent, ut cruciatus vehementiſſimos pateretur, tamen quaſi pro nihilo reputaret. Tota vita ejus in Chriſti rebus geſtis, tanquam in viridario amoeniſſimo verſabatur; iis meditandis trahebat ardentiſſima ab imo pectore ſuſpiria, & ab oculis lacrymarum fundebat imbres, iisque deficientibus guttas ſanguineas. Illas autem lacrymas Crucifixi amore fuſas, apud familiares appellabat Roſas ſuas. Amplector has Roſas è ſpinis, clavis & Cruce Salvatoris prognatas; & exclamo.

§. 1. Occaſione verborum S. Ludgardis; Memoria Paſſionis Chriſti, comparatur Roſa.

Dulcis Roſa Paradiſi eſt, Memoria Paſſionis Chriſti, quia aperit nobis paradiſum. Sive, quia nobis eſt certiſſimum pignus æternæ ſalutis; ſive, ut clariſſimè loquar, quia eſt ſignum æternæ prædeſtinationis, cum morali certitudine, liberandos nos olim ab incendio æternæ damnationis. Sanguis Agni Paſchalis aſperſus portibus ædium Judæorum, liberavit illos â gladio percutientis Angeli, quia unâ nocte occidit omnia primogenita Ægypti. Vitta coccinea appoſita feneſtræ, Raab meretricem eripuit ê ruinâ civitatis Jerochuntinæ; quantò magis nos ſanguinis immaculati, liberabit nos à ruinâ æternâ. Animæ piæ! quærite roſas, intingite illas roſas Vulneribus Salvatoris, ornate illis veſtras lam-

§. 2. Hæc roſa nobis aperit paradiſum, ſive eſt ſignum ſalutis.

pades, cum veniet cœleſtis ſponſus illarum intuitu recreatus aperire nobis oſtium ad gloriam æternam. Nolite dubitare.

§. 3. *Quia apud Chriſtum Crucifixum reperitur ſumma noſtra ſalutis.*

Piè Ludovicus Bloſius, in ſac. an. c. 21. *Quotieſcunq́, aliquid piè meditaris, vel legis de Paſſione Domini IESV, ſanctificaris inde: & ingentem fructum reportas, etiamſi parvo admodum affectu, & ſine ullo ſapore ſenſibili mediteris, ac legas. Fieri nullâ ratione poteſt, ut vel aſpicias tantùm piis oculis imaginem Crucifixi, ſine grandi utilitate, cùm ibi ſalutis tuæ ſummam invenias.* Ergò ex mente Ludovici Bloſii, ſalutis ſuæ certus eſſe quisquis Paſſionem Chriſti meditatur & amat. Animæ piæ, colligite roſas ſub Cruce Salvatoris; ego aureis characteribus illis inſcribam hæc verba, ab his roſis ſalus. Hæ roſæ in animæ ſunt ſignum prædeſtinationis. Hæ roſæ nobis aperient paradiſum.

§. 4. *Cur exploratores terræ promiſſionis retulerint botrum*

Non caret myſterio, quod viri duo, qui à Moyſe & populo miſſi fuerant ad explorandum terram promiſſionis, ex illâ in ſignũ ubertatis retulerint uvam. Si terra promiſſionis fuit typus & imago cœleſtis Jeroſolymæ, reſpondeo cum Taulero, illud contigiſſe in figurâ; nam, botrus in vectem appenſus eſt, ut nos de promiſſionis terrâ certos redderet & ſecuros. Unde etiam S. Paulus ad Hebr. c. 10. v. 19. ait, *Habentes fratres fiduciam, in introitu ſanctorum in ſanguine Chriſti*; qui ex illo myſtico botro ſub torculari ſ. Crucis expreſſus fuit.

§. 5. *Inter Crucem Chriſti, & regnum cœlorum ingens eſt connexio.*

Inter Paſſionem Chriſti, & regnum cœlorum ingens eſt connexio. Unum ſequitur alterum. Matth. 20. v. 18. Chriſtus D. facit mentionem ſuæ Paſſionis, dicens Apoſtolis, *Ecce aſcendimus Ieroſolymam*, &c. & ſtatim ſubjungit textus; *Tunc acceſſit ad eum Mater filiorum Zebedæi, cum filiis ſuis adorans & petens aliquid ab eo, qui dixit ei, Quid vis? ait illi: Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram, in regno tuo.* Obſervanda eſt particula, *Tunc*, quæ opportunitatem & occaſionem exprimit, quâ illa mater uſa fuit, ad petendum pro filiis, primas in regno ſedes: nimirum poſtquam Chriſtus D. clarè ficiſſet mentionem ſuæ Crucifixionis. Scio Concionatores plerumque carpere hanc fœminam, quod locuta fuerit de regno aliquo terreno, prætertim ob verba illa Chriſti, *Neſcitis quid petatis.* Non

tamen

tamen planè abjicienda eſt opinio S. Paſchalis, qui putat illam fœminam a Spiritu S. illuſtratam revera agnoviſſe, verſum illũ Davidis, *Dominus regnavit à ligno* & intellexiſſe, quod patibulum Crucis, in quo Chriſtus ſuffigendus erat, cœli portas reſeraturum eſſe, quod tandem contigit, cum Chriſtus de Cruce, dixit pio latroni, *Hodie mecum eris in paradiſo.* Itaque meditemur & amemus Crucem Chriſti, infallibiliter nobis reſerabitur Paradiſus. Habete hanc fiduciam in ſanguine Agni; huic pias veſtras cogitationes & affectus, veluti roſas intingite; inſcribas illis: Hæ roſæ aperiunt Paradiſum. Sunt ſignum æternæ Prædeſtinationis.

In vita S. Philippi Nerei refertur, de quadam ſanctimoniali, quod cùm ſe damnatam eſſe reputans, magnis angeretur deſperationis tentationibus, multique in hoc ſuam collocaſſent operam, ut eam ad viam bonam reducerent, ſed irrito conatu, tandem S. Philipp. eam conveniens hoc convicit argumento, unâ conſequentiâ, unico Ergo. *Dic obſecro,* dixit, *pro quo Filius Dei in Cruce mortuus eſt,* cui ipſa reſpondit, *Pro peccatoribus. Et tu quanam es,* ſubjunxit S. Philippus. Illa, *Gravis ſum peccatrix.* intulit S. Philippus, *Ergo tuus eſt Paradiſus! tuus eſt! tuus eſt!* Hæcque verba, deſperantis cordi, adeò profundè & fortiter fuerunt impreſſa; ut deinceps, depoſita omni deſperatione, cum ingenti fiduciâ, in vitâ ſanctiſſimâ usque ad finem perſeveravit. § 6. *Aliquid affectuoſum ex vita S. Philippi Nerei.*

Fare tu quoque fili; Peccaſti? adeo & toties, ut ſanguis innocentis Abelis contra te clamet? adeo enormiter, & toties, ut deſperationis fluctibus mergaris in profundum? Fare præterea! cernis Chriſtum in Crucis pendentem ſtipite? ſed pro quo? pro peccatore, qualis tu es! ergo confide! Tuus! tuus! eſt paradiſus! § 7. *Apoſtrophe, ad Auditores.*

Veriſſima enim ſunt verba S. Ambroſii, in Pſ. 37. *Non tabes mortis, de Vulnere ejus, ſed fons vitæ ſcaturivit æternæ.* Quid timemus? *Crux Chriſti Dei in homines odium reſtinxit; DEum cum hominibus reconciliavit, & mortis aram minutiſſimam diruit.* inquit S. Chryſ. *Quid times? Chriſtus per Paſſionem ſuam, non ſolùm hominem à peccato liberavit, ſed etiam gratiam juſtificantem, & gloriam beatitudinis promeruit.* ait S. Thomas. *Ergo, quid times? ergo* § 8. *Non tabes, ſed fons vitæ ſcaturit ex Vulneribus Salvatoris.*

go noſter eſt Paradiſus! dummodo paſſionis ejus nos reddamus participes.

§. 9. *Magni ponderis argumentum ad concitandam fiduciam.*

Adjungo graviſſimi ponderis argumentum, quod Cœleſtis Sponſus, Chriſtus D.B. Angelæ de Fulginio, his verbis propoſuit. *O vos verè beati, & omninò benedicti! Si in Cruce pro meis Crucifixoribus, cum lacrymis & fletu rogavi Patrem meum, & excuſavi dicens; Pater! dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt. Quid pro vobis, qui mihi compaſ, devoti, & conſocii fuiſtis, dicturus ſum, cùm non in Cruce, ſed in gloriâ feliciſſimus Orbem judicabo.* An non hæc verba ſtringunt? nunquid in gloriâ ſollicitus erit, ut omnes illos, qui mortem illius cum ſincerâ & devotâ compaſſione meditantur, ſuisq; acerbiſſimis pœnis compatiuntur, juſtificare & ad cœleſtem gloriam perducere poſſit. O pias cogitationes! O dulces roſas! quibus roſeo Chriſti ſanguine talis inſcripta eſt, epigraphe; Noſter eſt Paradiſus! ſive, per memoriam Paſſionis, certum habemus pignus ſalutis, & arrham æternæ prædeſtinationis!

§. 10. *In Vulneribus Chriſti ſalus et vita æterna.*

In Parabolis Salomonis ait Spiritus S. Proverb. 8. v. 34. *Beatus homo, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtii mei.* Quid impedit, quò minus per hæc oſtia intelligamus Vulnera Crucifixi? ob quam cauſam S. Joannes poſtquam Chriſtus in Cruce obiiſſet, non ſine myſterio dixit cap. 19. v. 34. *Unus militum lancea latus ejus aperuit.* Non, vulneravit, vel percuſſit, ſed aperuit, eò quod illa lancea ſauciando latus Salvatoris ſimul portam & januam ad cœleſtem Paradiſum aperuerit; quam qui invenit, ad cujus fores qui vigilat ſimul invenit vitam, & æternam beatitudinem ob quam cauſam S. Bonaventura in ſtim. am. c. 1. meritò exclamat, *O cæcitas filiorum Adæ! qui per hæc Vulnera in Chriſtum neſciunt introire. Supra vires ſuas laborant in vanum, & aperta ſunt oſtia ad quietem. An ignoratis, quod Chriſtus eſt, gaudium peccatorum? cur tardatis, per Corporis ſui foramina, in illud gaudium introire? Beatitudo Angelorum patet, paries ejus confractus eſt, & vos introire negligitis?* Verum quidem eſt, DEUM olim poſt expulſos è paradiſo protoparentes, ad ejus fores collocaſſe Cherubinum, cum flammeo gladio, ad arcendum inde genus humanum, ſed (S. Bonav.) *ecce aperta eſt janua Paradiſi, & per lanceam militis gladius verſatilis eſt amotus,*

motus, gladius ille mutatus eſt in Crucem, quæ Paradiſum reſerat. B. Laur. Juſtin. de tri. Xi ag. c. 20. *Nihil eorum quæ in ſacro continentur elogio ſic humanum valet excitare affectum, mentem erigere, peregrinationis tædium auferre, & æternæ felicitatis ſpem immittere, quemadmodum ſacroſanctum humanæ Redemptionis myſterium.* Quot verba! tot roſæ! quibus ſanguine Salvatoris inſcriptum eſt, Noſter eſt Paradiſus. Sive, Memoria Paſſionis & arrha ſalutis, & nota Prædeſtinationis. Ideo rurſum Chriſtus D. B. Angelæ de Fulg. dixit. *Benedicti! qui meæ Paſſionis, quæ eſt ſalus & vita perditorum, ſolum refugium peccatorum; memores & devoti, & compatientes eritis; quoniam verò, & regni, & gloriæ, & reſurrectionis, quam per ipſam acquiſivi, eritis participes mecum, & cohæredes in perpetua ſæcula ſæculorum.*

Memoria Paſſionis Chriſti obtinet ſanctam mortem! ergo ſimul pignus eſt æternæ ſalutis! Credo aſſerenti magno Dei famulo, qui meditationi Paſſionis deditus, illuſtratus à Spiritu Sancto dixit: *Devotus Paſſioni ſequentes obtinet gratias.* 1. *Remiſſionem peccatorum.* 2. *Certam quandam fiduciam & robur reſiſtendi omnibus tentationibus.* 3. *Vires ad aggrediendum opera virtutum.* 4. *Augmentum gratiæ & perſeverantiam.* 5. *Sicut qui vicinus eſt Chriſto quem meditatur; ita quoque ſecurus eſſe poteſt, quod eundem ad adjutorium ſemper promptum habebit.* 6. *Anima ejusmodi illuminabitur.* 7. *In perfectione ingentes faciet progreſſus.* 8. *Comparabit ſibi benevolentiam Dei, adeo, ut tutò ſibi promittere poſſit, quidquid à Patre cœleſti in nomine IESV Crucifixi petierit. Deniq; per hanc ſalutis noſtræ commemorationem, in morte aſſequetur lumen quoddam, per quod obtentu ſalvationis cognitionem habebit, aſſiſtente Domino noſtro IESV Chriſto, & pugnante pro eo, contra inviſibiles ſalutis noſtræ hoſtes.* Clarius Lud. Bloſius. *Mors Chriſti, noſtram ſolabitur.* Audi fili! meditaris mortem Chriſti? ergo ſanctè morieris! ergo tuus eſt paradiſus! Exclamasne frequenter cum S. Cath. Senen. *ſanguis! ſanguis IESV!* ergo ut illa ſanctè morieris! ergo tuus eſt Paradiſus! S. Franciſcus de Paula, die Veneris ſancto, cum tempus migrationis adeſſe cognoſceret, circa horam quâ Chriſtus D. paſſus eſt, paſſione Dominicâ coram illo perlatâ junctis manibus, erutisq; in cœlum oculis, Crucis trophæum amplectens, & oſculans, ac ſæpius iterans, in manus tuas, feliciter migravit ad Dominum fiat affectuoſus epilogus!

§. II. Memoria Paſſionis obtinet ſanctam mortem Ergo & ſignum ſalutis.

Rivulus Mellis Septimus,

Stillans ſanguine de Togâ Chriſti inconſutili.

Sive

EXHORTATIO VII.

PRO MENSE JULIO.

Ut ſugeret mel de petra, Deut. cap. 32. v. 13.

SYNOPSIS.

MEmoria & meditatio Paſſionis Chriſti, præſertim Crucifixi, coërcet impios à peccatis.

§. 1. *Propoſitio.*
§. 2 *Quàm efficax ſit aſpectus Crucifixi.*
§. 3. *Serpens à Moyſe exaltatus in deſerto, fuit figura Crucifixi.*
§. 4. *Quomodo Philippus Nerius converterit Iuvenem obſtinatum.*
§. 5. *De aſpectu Vulnerum Chriſti.*
§. 6. *Quomodo obſtinatum peccatorem converterit Ioannes Avila.*
§. 7. *Quare peccatores rurſum crucifigant Filium Dei.*
§. 8. *Crucifixi devota conſideratio, coercet à peccatis. Teſtimonia* S. *Patrum.*
§. 9. *Quod idem probatur exemplis.*
§. 10. *Proſecutio.*
§. 11. *Congruum ad mores conſilium.*
§. 12. *Pathetica hiſtoria, pro pathetico epilogo, de S. Bonaventura.*

§. 1. *Propoſitio.* MEditatio Paſſionis nos diſponit ad ſanctam mortem, quia illa Paſio, & præſertim Crucifixio Chriſti, frænum eſt, quò cohibemur ne facile labamur in gravius peccatum, quod hâc exhortatione paulò fuſius probabo.

Fratres,

§. 2. *Quàm efficax in aſpectus Crucifixi.*

Fratres, exclamat S. Auguſtinus, *ut à peccato ſanemur, Crucifixum intueamur. Vt innoteſcat*, inquit Dion. Carth. in J. c. 18. *quàm enorme, & quam grave ſit peccatum, pro cujus expiatione oportuit pati unicum Filium Dei, & Iuſtitia Dei appareat, quæ maluit occidi Filium ſuum dilectum, & innocentem, quàm peccatum remanere inultum, atq; inexpiatum. Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, ad oſtenſionem Iuſtitiæ ſuæ* (ad Rom. 8. v. 32.) ex quo zelo, Pater æternus, propter ſcelus populi eum percuſſit (Pſ. 53. v. 8.) de quo dixerat Matth. 3. v. 17. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Propter quam cauſam, *profectò homini* (S. Vinc. Fer. in Paraſc.) *magna indita eſt neceſſitas, ſe immunem à peccato conſervandi, quando ſe ſanguine Chriſti, redemptum cogitat à peccato, ſecundum illud, redempti eſtis precio magno.*

§. 3. *Serpens à Moyſe exaltatus in deſerto fuit ſignum Crucifixi.*

Admiratione dignum eſt, quod hebræi in deſerto, licet ab aſpidum & ſerpentum morſibus intumuiſſent, pleni mortifero veneno, mox tamen, ut ad erecti à Moyſe ſerpentis ſimulacrum, oculos ſuos elevarunt, fuerint curati. Sed contigerunt hæc in figurâ, ut diſcamus, quod ad curandum peccati venenum, nullum ſit præſentius & efficacius remedium, quàm ſi quis mentem elevet ad conſiderandum Chriſti D. Paſſionem, & præſertim Crucifixionem. *Quem enim non emolliat tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro vilibus ſarcinulis tam precioſas merces expendit.*

§. 4. *Quomodo Philippus Nerius converterit juvenem obſtinatum.*

In vitâ S. Philippi Nerei legitur, quod quidam juvenis peccata ſua confitens, nullo tamen argumento permoveri potuerit ad condonandam illatam injuriam, tandem Phil. Nereus, arreptâ imagine Crucifixi, ac plenus ſpiritu dixit. *Reſpice huc infelix, & quem pro te ſanguinem Chriſtus profudit, intuere, qui crucifigentibus non tantum pepercit, ſed iis à Patre indulgentiam efflagitavit.* Obmutuit juvenis, ruens in genua, ſed paulò poſt ſurgens exclamavit, *paratum cor meum Pater, paratum cor meum, jube quid faciam ſi quispiam fortaſſis* (quod abſit) *ex meis ſodalibus eſſet in ſtatu peccati mortalis, NNN. ad hunc me converto, & exclamo, Reſpice fili, &c.* (eſt locus pro pathetico affectu.

Vene-

§.5. De aſpectu Vulnerum Chriſti. Venerabilis Beda; *Nihil eſt, quod magis nefarios, & profligatos homines ita ad peccati cognitionem adducat, convertat, & à peccando cohibeat, quàm cum recolunt Chriſtum pro iis paſſum eſſe.* Quis ante converſionem nequior bono latrone! affixus Cruci adhuc cum ſocio blasphemavit Chriſtum D. Quid adeo immutavit hominem, ut momento converſus Chriſtum defenderit, ut exclamaverit, *Domine memento mei*! Ex mente S. Ambroſii, oculos conjecit in vulnera Chriſti, & recognovit, quare illa Chriſtus D. perferret, nimirum propter ſe, & reſipuit. Vulnera Redemptoris aſpexit, & hæc ei impreſſerunt notitiam, quod ſcilicet Redemptor, non pro peccatis propriis ſed ſuis moreretur, quodque vulnera illa in pœnam ſcelerum ſuorum ſibi deberentur. S. Bonav. *Vulnera enim Chriſti, corda ſaxea vulnerant, & mentes congelatas inflammant, & pectora adamantina liquefaciunt præ amore.* Sodales Chriſti agonizantis dilectiſſimi! hoc puto veſtrum eſſe deſiderium, ut aliquando in agone ardeatis præ amore &c. modò dū ſani eſtis, præſertim hâc horâ Congregationis, inter tam ardentes omnium ſodalium, preces, ad inflammandos tales affectus; ad deteſtanda ſcelera, ad exercitium amoris DEI, & Contritionis, Crucifixum intuemini.

§. 6. Quomodo obſtinatum peccatorum converterit Joan. Auila. P. Rho, in hiſt. virt. l. 3. c. 2. §. 23. ſequentia refert de Joanne Auila, *Hominem veterum irarum, odiiq; obſtinatiſſimi, multis nequicquam rationibus oppugnavit, ut illud exuere vellet, & quidquid eſſet inimicitiarum deponere, ubi ſe nihil proficere animadvertit, rogavit ad extremum flexis ante Crucifixum genibus, oculisq; in illum defixis, ſemel orationem dominicam precari non abnueret, paruit ille, ut moleſtum monitorem à ſe abigeret. Sed vix eam precem abſolverat, cum totis artubus contremiſcens, ad Aulam revertit, ac ſe, imperata facturum exclamat, nolle omnino ſe nolle ita ſibi ſupremo Iudici in judicio iratum eſſe Dominum, ut ſe oranti oſtenderat.* Quisquis ſodalis Chriſti agonizantis eſt, hunc obſecro & atteſtor, ut ſtatim peccata omnia deteſtetur, ut, ut, &c. ne in ſupremo agone iratā Judicis faciem cogatur intueri. Ut in hâc horâ Congregationis, ſi neceſſe eſt, reſipiſcamus, quæſo Crucifixum intueamur. Si hoc faciamus, *quis tam irreligioſus erit, qui non compungatur? Quis tam inſolens, ut non humilietur?*

lietur? Quis tam iracundus ut non indulgeat? Quis tam delicioſus, ut non abſtineat? quis tam flagitioſus ut non contineat? quis tam malitioſus, ut non pœniteat? Adeſt Paſſio Domini &c. S. Bern. in ſer. 4. habd. ma. Bollandus 4. Jan. refert de B. Angela de Fulginio, quod dicere fuerit ſolita. *In conſpectu Crucis data eſt mihi major cognitio, quomodo Chriſtus D. mortuus fuerit, pro peccatis noſtris, & tunc recognovit, omnia peccata mea, cum dolore maximo, & ſentiebam, quod ego crucifixeram eum.* Hanc ego hodie in meis ſodalibus exigo cognitionem, & recognitionem, &c. ut, ut &c. (eſt locus pro piis affectibus) Crucifixum tantùm intuemini.

Defectu hujus cognitionis, & meditationis Paſſionis Chriſti, filii hujus ſæculi audacter in omne ruunt ſcelus. Juveni cuidam admirabilis fuit objecta viſio. Vidit in ſpiritu quoſdam libidinoſos adoleſcentes, ſaltantes in circuitu crucis. Unus ex illis validos dedit ictus ſupra clavos Crucifixi; alius ſuper coronam ſpineam fortius illam infigendo, ac demum de capite detractam pedibus conculcavit. Alius Chriſtum flentem ſubſannavit; alius in faciem exſpuruit; alius latus perforavit, alius eundem blaſphemavit, ân non in hoc cadit illa ſententia S. Pauli, *Crucifigentes ſibimetipſis Filium DEI.* Sed quis cui tam flagitioſus, &c. ut hoc faciat, ſi Crucifixum intueatur, & conſideret, quis, pro quo, quare talia patiatur Filius DEI? In conſpectu Crucis dabitur nobis cognitio, & recognitio, quæ facio, ut peccata præterita cum maximo dolore defleamus, & futura caveamus. §. 7. *Quare peccatores rurſum crucifigant Filium DEI.*

Pulcrè S. Leo M. ſer. 9. de quadrag. *Cum caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, præſidio Crucis Chriſti, mens rationalis inſtruitur, nec cupiditatibus noxiis illecta conſentit, quoniam continentia clavis transfigitur.* S. Aug. in man. c. 28. *Nullum tam potens eſt, tam efficax contra ardorem libidinis, medicamentum, quàm mors Redemptoris mei,* ib. c. 21. *ſi ardor libidinis moveat membra mea, recordatione Vulnerum Domini noſtri, Filii DEI, extinguitur* S. Clem. Alex. l. 3. præd. c. 12. *ſatis eſt præteritum tempus quo ambulavimus in laſciviis &c. Limitem habemus Crucem Domini, cui crucifigimur, & à peccatis reprimimur.* S. Bern. in Serm. vitæ hom. *Deus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo?* Pono huc dictum Orig. frequen- §. 8. *Crucifixi devota conſideratio, coercet à peccatis. Teſtimonia SS. PP.*

Digitized by Google

quenter à me citatum. ſed ad rem meam. *Certum eſt, quia ubi mors Chriſti animo circumfertur, non poteſt regnare peccatum, eſt enim tanta vis Crucis Chriſti, ut ſi illa ante oculos ponatur, nulla concupiſcentia, nulla libido ſuperare poſſit; ſed continuò ad ejus præſentiam, totus ille peccati, & carnis fugatur exercitus.* S. Anſelmus. *Ad ejus enim crucem pertinet, quod etiam nos in ejus corpore crucifigamur mundo, ubi intelligitur, omnis coercitio malarum concupiſcentiarum, omnia vitia carnis & ſpiritus mortificat Crux Chriſti, ut vivere facias in virtutibus, quia ipſe pro peccatis noſtris crucifixus eſt, ut nos redimeret, ab omni iniquitate, & à cruciatibus æternis ſalvaret. Hæc & alia multa diſcuntur in Chriſto Crucifixo.* S. Bern. inter. domo c.38. *Quoties te ſentis turpibus cogitationibus pulſari, & ad illicitam delectationem allici, toties pone ante mentis oculos, quomodo Chriſtus in Cruce crucifixus eſt, pro te.*

§. 9. *Quod probatur exemplis.* De Religioſo graviter tentato, ait Cæſarius l. 8. c. 13. *Dominus Ieſus ſtans ante eum, vel potius quaſi pendens in Cruce, ſervum ſuum amplexatus eſt, & tanquam præcordialem ſibi, in ſignum mutuæ familiaritatis, eum ad pectus ſuum attrahendo, ſtrinxit, tentationemq́; validiſſimam, ſtringendo compeſcuit.* Nota eſt hiſtoria ex pratolore cui cum ex monaſterio fugere vellet, ſenſit Crucifixi imaginem de cruce in ſua ruere brachia, ut fugientem detineat. Dum exitum tentare pergit ad alteram portam, ibi pariter Redemptorem in ſpecie Crucifixi ſibi occurrentem, & exitum quaque verſum impedientem invenit. Idem contigit ad portam tertiam, ubi tandem ad pedes ſtatuæ cujuſdam B. Virginis proſtrata reſipuit, præſertim cùm ſenſit ab illâ ſtatuâ ſibi infligi alapam. Jugis deinde memoria, Paſſionis & Crucis Chriſti, frænum illi fuit coërcens ab omni peccato. De hoc fræno pulcrè gloriatus fuit Lud. Bloſius in Sac. an. c. 18. *Si Paſſionem & mortem Domini IESV in memoriâ noſtrâ cum amore geſtaverimus, facile carnem & ſanguinem, mundum, diabolum, ejusq́; tentationes omnes vincemus.*

§. 10. *Proſecutio.* Refert idem Bloſius diabolum aliquando tentaſſe S. Catharinam Sen. ad deſperationem; Sed quamprimum coram Crucifixo proſtrata dixit: *Ego apertè confiteor Creatori meo, me fuiſſe in tenebris, maleq́; vixiſſe; veruntamen fiducialiter latitabo in plagis Domini mei IESV Chriſti, & omnium iniquitatum mearum maculas, pre-*

cioſo

Digitized by Google

cioſo ſanguine ejus abluam. Poſt hæc verba, diabolus in fugam verſus eſt. S. Brigittæ aliquando confeſſus, *Nihil poſſum niſi permittat Crucifixus.* S. Aug in manuali cap. 22. *Cum diabolus ... ibi parat inſidias, fugio ad viſcera miſericordiæ Domini mei, & recedit à me.*

S. Maximus in homiliâ quâdam de paſſ. & Cruce, ſequens nobis tradidit conſilium. *Habemus Dominum IESVM, qui nos ſuâ Paſſione liberavit, in ipſum aſpiciamus ſemper, & ab ipſius ſigno ſperemus noſtris vulneribus medicinam, hoc eſt, ſi forte in nobis, avaritiæ venenum ſe diffundit, ipſum conſideramus, & ſanat ſi ſcorpionis nos libido compungit, ipſum rogemus, & curat; ſi terrenarum cogitationum nos morſus lacerant, eundem precemur, & vivimus: hi enim ſunt ſpirituales ſerpentes animarum noſtrarum, propter quos conculcandos, Dominus Crucifixus eſt.*

§. 11. Congruum ad mores conſilium.

S. Bonav. ſer. 4. in Dom. 13. pon. Pent. de ſe refert. *Cum ſemel diabolus fortiter me ſtringens in gutture, vellet ſtrangulare, jam non valens præ nimiâ gutturis ſtrictione, clamore. Vt fratrum adjutorium imprecarer, incipiebam cum ingenti dolore, ſpiritum exhalare, ſtatimq́; habitâ Dominicæ Paſsionis memoriâ, incepi ex compaſsione Dominicæ Paſsionis ſingultum geminare, & magna ſuſpiria loco vocis ex cordis medullis emittere; quo finito, virtute Dominicæ Paſsionis ego ſervus Crucis, à tam cruduli nece fateor me liberatum eſſe.* O ſodales amantiſſimi! quàm timeo, ne olim in ſuppremo agone, omnem curam, omnes tentationes & inſidias eò intēdat, ut nos ſtranguler (ecce locum pro pathetica deſcriptione, morientis impii!) ſed nolite timere? ex hâc horâ fiat affectuoſa adhortatio ad meditandum Paſſionem, &c.

§. 12. Pathetica hiſtoria, pro pathetico epilogo de S. Bonavent.

F 2 RIVU-

Digitized by Google

Rivulus Mellis Octavus,
Stillans ſanguine de Vulneribus, ſpinis coronati Capitis.
Sive
EXHORTATIO VIII
PRO MENSE AUGUSTO.

Ut ſugeret mel de petra, Deut. cap. 32. v. 13.

SYNOPSIS.

MEmoria & meditatio Paſſionis Chriſti, diſponit nos ad ſanctam mortem, excitando in nobis veram in Chriſti D. Paſſione fiduciam.

§. 1. *Propoſitio.*
§. 2. *Valor meritorum Chriſti, longè major eſt, quàm ſit malitia omnium hominum.*
§. 3. *Hinc tam eximia in viris ſanctis fiducia.*
§. 4. *Affectuoſa Apoſtrophe, ad Chriſtum in Cruce, & Patrem æternum.*
§. 5. *Ingens ſolatium ex revelatione factâ S. Gertrudi.*
§. 6. *Fiducia in Chriſti Paſſione requirit cooperationem.*
§. 7. *Teſtante ſponſo.*

§. 1. *Propoſitio.* INgens in Chriſti D. Paſſione, Vulneribus, Morte & ſanguine Crucifixi, nobilis eſt diſpoſitio ad ſanctam mortem; conſequenter etiam pia & devota meditatio illius diſpoſitionis, quæ in nobis generat affectum hujus fiduciæ. Certè ex quo Chriſtus D. pro nobis mortuus eſt, in Cruce, & per illam divinæ Juſtitiæ ſatisfecit, eamq; placavit, ſecuram ſpem habere poſſumus, obtinendæ veniæ peccatorum noſtrorum. Hoc hâc exhortatione probabo.

§. 2. *Valor meritorum Chriſti, longè major eſt, quàm ſit malitia hominum.* Super verſum 1. cap. 6. Job. *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui; & calamitas quam patior, in ſtatera, quaſi arena maris hac gravior appareret.* Mens Interpretum eſt, Jobum in ſpiritu vidiſſe dolores & tormenta Filii DEI in Cruce tolerata; eaq; appellâſſe illum calamitatem; quo poſito pie ait S. Anſelmus dial. de „ paſſ. cap. 15. Utinam Domine in ſtaterâ appendas peccata, qui„ bus iram merui, & calamitatem quam pro nobis paſſus eſt, innocens

nocens Filius tuus: Certè Domine hæc gravior apparebit, & magis digna, ut per ipſam effundas miſericordiam tuam, quàm ſine illa, ut pro peccatis noſtris contineas in irâ miſericordias tuas. Vel poſſumus meditari, quod ipſe Chriſtus Redemptor noſter in perſonâ Jobi; aſſumptis in ſe totius generis humani peccatis, juxta illud Petri ep.1.c.2.v.24. *Peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*; æternum Patrem ſuum ita alloquatur. Utinam me in myſtica Crucis meæ ſtatera ſuſpendas, ut diſcernere poſſis, an non majus ſit pœnoſiſſimæ Paſſionis meæ litrum, quo genus humanum redemi, quàm ſit immenſum culparum humanarum debitum nam ut S. Aug. ait in Pſ.21. Delicta noſtra Chriſtus ſua delicta fecit, ut juſtitiam ſuam noſtram faceret. Et ideo Redemptor ait, Calamitas quam patior, in ſtaterâ appenſa, quaſi arena maris gravior apparebit, (quàm ſit iniquitas) in ſtaterâ namque Divinæ Juſtitiæ, ait Lyranus, Paſſio Chriſti præponderat, peccatis humanæ naturæ. Et ideo Chriſtus D. apud S. Joan. c. 10. dixit, Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant, 4. S. Bern. ſuper illas voculas S. Pauli, propter nimiam caritatem exclamat, Verè nimiam! quia modum ſuperat, & planè ſupereminet univerſis. Cum enim pro omnium peccatorum expiatione unica duntaxat gutta & Stilla ſanguinis Chriſti ſuffeciſſet, ipſe integrum ſanguinis torrentem effundere voluit. Pſ.129.v.7. *Copioſa apud eum redemptio*; *copioſa*, inquit ait S. Bern. *ſiquidem non gutta, ſed unda ſanguinis, per quaſque corporis partes emanaverit.* Et quis de quorumvis peccatorum veniâ obtinenda deſperet? Quis ſibi non perſuadeat, DEI placatam eſſe iracundiam, per totius ſanguinis Agni immaculati copioſiſſimam effuſionem, ad Hebr. 9. v. 13. Si enim ſanguis hircorũ, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis; quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum obtulit ſemetipſum immaculatum, Deo, emendabit conſcientiam noſtram? & oblatum, tam copioſè; non per guttulas, ſed undas; non per ſtillicidia, ſed torrentum.

S. Bonav. tam eximia fuit fiducia, ut dixerit, ſtim. am. c. 7. *Non poteſt ſe Deus negare ſanguine Chriſti effuſo.* S. Aug. tanta fuit fiducia, ut dixerit in Manuali c. 23. *Non poſſum terreri multitudine peccato-* § 3. *Hinc tam eximia viris ſanctis fiducia.*

F 3 *rum*

rum meorum, ſi mors Domini in mentem venerit, quoniam peccata mea illum vincere non poſſunt; Clavi & lancea clamant mihi, quod verè reconciliatus ſum Chriſto, ſi eum amavero, (eſt locus pro affectuoſâ de-
,, ſcriptione, & pathetico affectu) Longinus aperuit mihi latus
,, Chriſti, lanceâ, & ego intravi, & ibi requieſco ſecurus. Inſuper
ipſe expandit brachia ſua in cruce, paratus in amplexus peccato-
,, rum. S. Leo. Confiteamur igitur, quod Doctor gentium Paulus
,, glorioſâ voce confeſſus eſt, dicens; Fidelis ſermo, & omni acce-
,, ptione dignus, quia Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum pecca-
,, tores ſalvos facere. Hinc enim mirabilior eſt Dei erga nos miſe-
,, ricordia, quod non pro juſtis, neque pro ſanctis, ſed prò iniquis &
,, impiis Deus mortuus eſt.

§ 4. *Affectuoſa apoſtrophe ad Chriſtum in Cruce & Patrem æternum.*

Affectuoſus eſt Pſalmus 84 in quo regius pſaltes tam affectuoſis verbis aggratulatur Chriſto Salvatori, pendenti in Cruce ut ſeqq. *Benedixiſti Domine terram tuam; avertiſti captivitatem Iacob, remiſiſti iniquitatem plebis tuæ; operuiſti omnia peccata eorum, mitigaſti omnem iram tuam, avertiſti ab irâ indignationis tuæ.* Ecce effectus Cruci, qui ergo deſperet de obtinendâ peccatorum veniâ? quis non potius dicat cum S. Anſelmo, *adoramus te precioſum Redemptionis noſtræ precium, hoſtia pacifica, quæ ſolâ odoris tui inæſtimabili ſuavitate, Patrem qui in altis habitat, ad reſpiciendum humilia inclinaſti, & filiis iræ placabilem reddidiſti.* Quis non mentem, vocemque elevet ad Patrem æternum, cum eodem S. Anſelmo, *eſto placabilis ſuper multitudinem malitiæ noſtræ, ecce vox ſanguinis fratris noſtri Ieſu, clamat ad te de Cruce.* Sed longè aliter, quàm ſanguis Abel, hic enim vindictam depoſcebat, de illo ſumendam, qui eum effuderat: hic verò innocens Redemptoris ſanguis, ab æterno Patre affectuoſè & efficaciter implorat veniam pro illis ipſis, qui ſanguinem illum cum tantâ impietate effuderunt. S. Leo. *Admiſit enim in ſe impias manus furentium, quæ dum proprio incumbunt ſceleri, famulatæ ſunt Redemptori, cujus etiam circa interfectores ſuos, tanta erat pietatis affectio ut de Cruce ſupplicans Patri, non ſe vindicari, ſed iis poſtularet ignoſci.* Quod ſi igitur tantâ ſollicitudine pro illis, qui actualiter & malitioſe ſanguinem ejus effundebant, eundem conculcantes, veniam impetrare contendit; quantò ſollicitior erit in ſaluandis

illis,

Digitized by Google

illis, qui eodem ſanguine uti deſiderant, ut cum eodem propriam emundent conſcientiam. Repeto dictum S. Auguſtini: *Non poſſum terreri multitudine peccatorum, ſi mors Dei, ſi Vulnera, ſi ſanguis in mentem venerint.* Vel ſi æterno Patri dicam cum S. Anſelmo, *reſpice in faciem Chriſti tui, qui ibi uſq; ad mortem factus eſt obediens: nec recedant ab oculis tuis cicatrices, Vulnerum ejus in perpetuum, ut memineris quantam ſatisfactionem pro peccatis noſtris ab eo ſuſceperis.* O Pater reſpice in faciem Chriſti tui, qui in Cruce delevit quod adverſum nos erat, chyrographum decreti, affigens illud Cruci, & delens cruore ſuo. *Non poſſum deſperare.*

Mirificè enim me ſolatur & roborat, S. Gertrudi divinitus facta revelatio, quam refert Bloſius in Concl. animæ c.1. n.2. *Quilibet poterit reſpirare in ſpem veniæ (quamlibet etiam gravi pondere peccatorum ſe ſenſerit depreſſum) offerendo Deo Patri, meam innocentiſſimam Paſſionem & mortem: Credat peccator, ſe obtinere per hoc ſaluberrimum fructum, indulgentiæ, quia nullum tam efficax remedium contra peccata poterit in terris reperiri, ſicut devota memoria meæ Paſſionis.* Idem Bloſius refert S. Henrico Suſoni, à Chriſto D. relata ſequentia. *Anima quæ ſe multis obſtrinxit peccatis, poterit ipſius Paſſionis meæ theſaurum ad ſe adjungere, ſibiq; applicare, ut etiamſi vel mille annis punienda ſit in Purgatoriis locis, brevi tempore & culpam & pœnam omnẽ diſſolvat, ita ut abſq; purgatorio libera commigret in cœlum.* Moris eſt in Eccleſia ut ſacerdos pœnitenti poſt factam ſacramentalem abſolutionem dicat, *Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti &c. ſit tibi in remiſſionem peccatorum.* Ubi Ludolphus Carthuſ. *Taliter poſſit ſe homo ad hoc applicare, & de ejus merito & ſatisfactione, tam multum ad ſe trahere, ut citò Divinæ Iuſtitiæ poſſit ſatisfacere.* Bene enim monet S. Cyprianus, de Paſſ. *Vulneri tam putrido, & antiquarum cicatricum fœtori, non inveniebatur medicamentum conveniens, niſi unguento ſanguinis hujus plaga vetus liniretur, & malagmate carnis, in Cruce extenſæ, ſiccerentur venena, quæ calcaneo primi hominis & poſteritati ejus ſerpens illi ſeductor antiquus infuderat.* Cùm hoc medicamentum, hoc unguentum ſanguinis, hoc malagma habeam ad manum, de peccatorum meorum remedio non deſpero.

§. 5. *Ingens ſolatium ex revelatione facta S. Gertrudi.*

Notan-

Digitized by Google

§. 6. *Fiducia in Christi, D. Passione requirit cooperationem.*

Notandum tamen eſt, quod noſtram & fiduciam comitari debeat, aliqua cooperatio, per actus dignæ pœnitentiæ. Quam cooperationem pulcre explicat B. Angela de Fulginio, apud Boll. 4. „ Jam dictum eſt mihi à Chriſto Crucifixo, mihi apparenti, ut in „ Cruce pro nobis fuit appenſus. Nullus homo, nulla perſona poterit habere excuſationem ſuæ ſalutis, quia ad ſuam ſalutem procurandam non oportet plus facere, niſi ſicut facit infirmus medico, qui volens ſalutem, oſtendit ei infirmitatẽ, & ſe diſponit ad faciendum quæ Medicus dixit. Ita nunc non oportet, quod aliquis plus faciat, nec aliquid in medicinis expendat, niſi quod oſtendat ſe Medico, per peccati recognitionem, & confeſſionem, & diſponat ſe ad illa, quæ ſibi dicit Medicus, & caveat à contrariis. Comprehendebat autem anima mea, quod medicina erat ſanguis Chriſti: & ipſe ſine precio hanc dat medicinam, & non conſtat plus infirmo peccatori, niſi ut diſponat ſe, & Medicus Chriſtus dat ſibi ſalutem, & ſanat infirmitatem. Enim verò non ſufficit, quod quis amarum Paſſionis calicem deſideret, laudet, ejusq; virtutem perſpectam habeat, ſed qui infirmitates ſuas ſpirituales curari deſiderat, illum ut labiis admoveat, & exhauriat neceſſum eſt.

§. 7. *Ita atteſtante ſponſo.*

Ideo cùm ſponſus dixiſſet ſponſæ Cant. 8. v. 6. *ſub arbore malo ſuſcitavi te.* Orgelitanus. *In odorifero Crucis patibulo, ubi ego occubui hic te à peccatorum interitu ſuſcitavi*, immediatè ſubjunxit, *pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum.* S. Aug. *ſignaculum Chriſtus in frontè eſt, & ſignaculum in corde, & ſignaculum in brachio. In fronte ut ſemper cogitemus & confiteamur. In corde, ut ſemper diligamus. In brachio ut ſemper operemur.* S. Aug. *Ideo extenſæ ſunt manus ejus in Cruce, ut manus noſtræ extendantur in bona opera. Ecce ita levavit manum ſuam, & obtulit pro nobis ſacrificium Deo ſeipſum, & per illud ſacrificium deleta ſunt omnia peccata noſtra. Levemus & nos manus noſtras ad Deum in pace, & non confundentur manus noſtræ elevatæ ad Deum, ſi exerceantur in bonis operibus.* Pulcerrima documenta, ad fovendam veram in Chriſti D. Paſſione fiduciam, S. Bonaventura in ſtim. am. c. 1. his verbis redegit in compendium: Chriſtus Crucifixus *affectus tuos tam in cogitatione, quàm*

Digitized by Google

quàm in locutione, ac etiam operatione regulare debet. Sic crede, ſpera, ama, & de peccatorum venia obtinenda noli deſperare.

Rivulus Mellis Nonus, ſtillans cum ſanguine de Vulneribus manuum Salvatoris, ſive

EXHORTATIO IX. PRO MENSE SEPTEMBRI.

Thema.

Ut ſugeret mel de petra, Deut. 32. v. 13.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

VArii modi proponuntur ex SS. Patribus, quibus docemur, quomodo piè & attentè, ſive minutatim debeamus conſiderare paſſionem Chriſti.

§. 1. *Propoſitio.*
§. 2. *Agnus Paſchalis fuit figura Chriſti paſſi.*
§. 3. *Uti hic Agnus, ſic Chriſti Paſſio dividenda eſt minutatim. quod piè fecit S. Theodorus Studita.*
§. 4. *Et S. Bernardus, & S. Bonaventura.*
§. 5. *Et D. Chryſoſtomus.*
§. 6. *Iterum ex S. Auguſtino.*
§. 7. *Minutata conſideratio Perſonæ, quæ patitur.*
§. 8. *Perſonæ patientis excellentia per pulchras conglobationes.*
§. 9. *Circumſtantia locorum, in quibus Chriſtus paſſus eſt.*
§. 10. *Minutatæ cogitationes de omnibus membris ſanctiſſimi Corporis.*
§. 11. *De ejuſdem ſanctiſſimi Corporis ſenſibus.*

COngruum eſſe judico, ut cùm toties in meis Exhortationibus repetam hæc verba, *Pia, attenta & devota meditatio Paſſionis* §. 1. *Propoſitio.*

 nos

nos diſponit ad ſanctam mortem; congruum inquam eſſe judico, ut meos diſcurſus nonnihil interrumpam, & oſtendam, quænam ergo dicenda ſit attenta conſideratio.

§. 2. *Agnus Paſchalis fuit figura Chriſti paſſi.*

Meo judicio figura Agni Paſchalis id nobis demonſtrat: de quo ſacer textus ait, Exod. 12. v. 10. *Caput cum pedibus ejus, & inteſtinis vorabitis; non remanebit quicquam ex eo; ſi quid reſiduum fuerit, igne comburetis.* Quaſi DEUS dicere vellet, omnes Paſſionis Dominicæ paſſus, puncta, circumſtantias, verba, multò magis Chriſti facta conſiderabitis & revolvetis attentè. Quòd ſi verò in eadem quidpiam occurrerit, quod intellectum veſtrum ſuperaverit, igne divini amoris, qui ineffabilis & incomprehenſibilis fuit, conſumetis.

§. 3. *Uti hic Agnus, ſic Chriſti Paſſio dividenda eſt minutatim. Quod piè fecit S. Theod. Studita.*

Agnum Paſchalem, ſive Chriſtum paſſum, meo judicio minutatim (Levit. 2. v. 5.) diviſit S. Theodoſius Studita ſer. 72. *Sanguinarium in eum conſilium, Iudaica comprehenſio, ad necem adjudicatio, cauſæ pro tribunali Pilati dictio, interrogatio, caſtigatio, colaphi, ſputa, contumeliæ, ludibria, crucis conſcenſus, manuum ac pedum ſuffixio, fellis deguſtatio, ictus lateris, & quæ cum iis alia miſcuerunt, quæ nec capere queat mundus, nec dignè recenſere valeat, non dicam mortalis, ſed nec cuncta Angelorum lingua.*

§. 4. *Et S. Bernardus, & S. Bonav.*

Divide hæc adhuc minutatim, id eſt, minutatim v. g. conſidera colaphos cum omnibus circumſtantiis. Minutatim ita perpende ſputa, & irriſiones, &c. & ita attentè conſiderabs Chriſti D. Paſſionem. Diſcite modum ita minutatim conſiderandi Paſſionem à D. Bernardo de Paſſ. ubi ait: *Divides eam minutatim, ſcilicet ſingulas partes Paſſionis diſtinguendo*, v. g. *illius noctis incommoda percurramus, quomodo tentus, vinctus, tractus, truſus, cæſus, conſputus, colaphis, alapiſque percuſſus, ſpinis coronatus, arundine cæſum caput, flagellis acerrimis laceratus, propriâ cruce oneratus, primò portans eam, quæ ipſum poſtea ſtatim erat portatura. Talem inſpice IESUM.* Sanctus quoque Bonaventura huic diviſioni operam dedit, eamq; hiſce verbis inſinuavit: *Conſidera, quæ perſona, quam pœnam, quâ parte, quâ culpâ, quibus miniſtris, quibus ſociis, quibus ſolatiis, quibus inſtrumentis, quo loco, quo tempore, quo fructu, quomodo ſuſtinuit.* Divide omnia minutatim, *& vide, quibus inſtrumentis patitur, videlicet adhibita*

ſunt

ſunt illuſoria, vilificatoria, tortorea; ut fecerunt ſputum, purpura, crux, & ſimilia vincula, corona, flagella, velum faciei, manus colaphizantes, arundo, clavi, acetum, lancea.

D. Chryſoſtomus hom. 88. in Matth. minutatim Chriſti Domini Paſſionem ita diviſit: *Extremas certè contumelias ille ſuſtinuit, quippe cùm non membrum unum, ſed univerſum corpus, atroces injurias pateretur; caput ſpineâ coronâ, calamo, pugnis; facies ſputis, maxillæ alapis, corpus reliquum flagellis, nuditate, amictu chlamydis, adoratione ſimulatâ, manus calamo, quem pro ſceptro tenere dederunt, os quoque ipſum, & lingua, aceti potione ac fellis.* §. 5. Et D. Chryſoſtomus.

Aliam minutatam conſiderationem paſſionis, præſertim Crucifixionis, iterum reperio apud S. Auguſtinum lib. 6. medit. c. 6. Candet nudatum pectus, rubet cruentum latus, tenſa arent viſcera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia, crura pendent marmorea, rigat terebratos pedes beati ſanguinis unda; ſpecta, ô glorioſe genitor! gratiſſimæ prolis lacerata membra, & memorare benignus, quæ mea eſt ſubſtantia. Conſpicare DEI hominis pœnam, & relaxa conditi hominis miſeriam. Divides omnia hæc iterum minutatim. Divide nudum pectus, divide cruentum latus, divide extenſa viſcera, pallidos oculos, &c. in omnibus Spiritus S. tibi ſuggeret affectuoſiſſimas cogitationes; & hoc eſt Paſſionem meditari piè & attentè. §. 6. Iterum ex S. Auguſt.

Divides quoque minutatim hanc circumſtantiam; Quis ſit, qui patitur! S. Bern. O verè admirabile commercium! Tradidit ſe Rex pro ſervo, DEus pro homine, Creator pro Creatore, innocens pro nocente. S. Bonav. Grave eſt pati cum vilibus, Regem ſuſpendi cum latronibus. Conſpuitur gloria, condemnatur juſtitia. Judex judicatur, occiditur vita. Et in c. 7. ſtim. am. *Conſideratio ſapientialis eſt, in hac beatiſſima Paſſione,* (& quò minutatior, eò ſapientior,) *quando homo conſiderat, potentiſſimum pro nobis conculcari, ſapientiſſimum ad modum ſtulti illudi; optimum amaritudine repleri, & tanquam peſſimum, morte turpiſſimâ condemnari.* Sequuntur minutatæ cogitationes B. Laur. Juſtiniani circa perſonam patientis: Eſt qui patitur, Unigenitus DEI, Verbum ſempiternum, Sapientia attingens omnia, ſalus mundi, reparator hominis, Virtus §. 7. Minutata conſideratio perſonæ, quæ patitur.

pugnantium, corona vincentium, errantium via, naufragantium „ ſinus, mœrentium ſolatium, comes peregrinantium, nutantium „ robur, ſuſtentatio debilium, mortuorum reſurrectio, regnantium „ merces, Angelorum gaudium, Divinitatis ſpeculum, charitatis „ fons, origo hominum, veritatis contemplatio, delitiarum paradi- „ ſus, omniumque bonorum emanatio indeficiens.

§. 8. *Perſonæ patientis excellentia, per pulchram conglobationem.*

Ideo Lucas Burgenſis in Matth. pulchrè dixit: Nullum un- „ quam exemplum tantæ inhumanitatis & crudelitatis adverſum „ manifeſtarium malefactorem editum legimus, quale hîc ſpecta- „ tum eſt adverſus hominem innocentiſſimum, & Judicis quoque „ ore pronuntiatum juſtiſſimum: quem non innocentiſſimum tan- „ tùm, ſed & beneficentiſſimum in omnes fuiſſe conſtabat. Cùm „ tamen in ſanguinario judicio, in tam immenſa turba, quæ ad Pa- „ ſcha Jeroſolymam confluxerat, non aliquis fuerit inventus, qui „ eſſet pro JESU! ſed omnes in eum inſurrexêre, omnes unanimiter „ ſuam in eum virulentam malitiam, & falſitatem evomuerunt. Imò tam vilis æſtimabatur, tamque nihili, ut contra morem omnium tribunalium, libidini & licentiæ militari relinqueretur, quaſi crimen ipſius tam grande eſſet, ut nihil atrocitatis vel ignominiæ poſſet in eum à quopiam effundi, quod non mereretur. Quàm verè de ſe per Prophetam dixit: *Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Quis hominum, poſt homines natos, ita fuit aliquando tractatus, quis ita arbitrio carnificum conceſſus? quis unquam in ipſa ſuppliciorum acerbitate tam inhumaniter illuſus, irriſus, exagitatus?

§. 9. *Circumſtantia locorum, in quibus Chriſtus paſſus eſt.*

Circumſtantia locorum, in quibus Chriſtus paſſus eſt, etiam minutatim eſt dividenda: quod piè fecit S. Bonaventura in Paraſc. Aggravatur paſsio ex loco propter multitudinem, quantò enim „ quis pluribus in locis confunditur, tantò gravius eſt; & ecce „ Chriſtus in horto ligatur, in domo Caiphæ à miniſtro alapâ cæ- „ ditur; in atrio Caiphæ conſpuitur; in hoſpitio Herodis illuditur; „ in prætorio Pilati flagellatur & condemnatur. Crux ab eo baju- „ latur, in Golgotha crucifigitur. Item propter loci turpitudinem. „ Exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locus, qui ſic dictus eſt, prop- „ ter Calvarias decollatorum. Turpis ergo eſt locus iſte, & propter „

tor-

Digitized by Google

tormenta, & propter cadavera damnatorum. In alto ſuſpenditur, „ ut manifeſtus confundatur.

§. 10. *Minutatæ cogitationes de membris ſanctiſſimi Corporis.*

Minutatæ cogitationes S. Antonini p. 4. c. 15. de omnibus membris corporis in Chriſto paſſo, ſunt affectuoſiſſimæ: *Caput puncturis acutiſſimis* (divide has puncturas minutatim) *coronæ ſpineæ* (& ſpinulas etiam minimas minutatim divide) *penetrantibus uſque ad os* (divide etiam oſſa) *perforatum fuit. Oculi, à quibus Petrus intuitus flevit amarè, in deriſum velati ſunt.* (Divide nihilominus minutatim intuitus oculorum, quibus Chriſtus aſpexit & deflevit ſe conſpuentes,) *facies ejus plena gratiarum deformata eſt ſputis, & ſanguine, ut leproſus videretur. Genæ ejus candidæ & rubicundæ alapis percuſſæ ſunt,* (divide minutatim has alapas, omnes numera) *aures illæ, quæ melos audiunt Angelorum, repletæ ſunt blaſphemiis, detractionibus, contumeliis, irriſionibus populorum. Nares ejus, ad cujus odorem reviviſcunt mortui, fatigantur fœtoribus Calvariæ; Capilli ejus capitis, & barbæ violentiâ tracti* (divide minutatim) *aut avulſi ſunt. Os ejus percuſſum eſt; pedes ejus, quorum terra ſcabellum, in cruce extenſi ſunt. Totum corpus illud dulciſſimum flagellis multis & diris cæſum & dilaceratum eſt.* (Divide omnia minutatim.) *Remanſerat ſola lingua, ſed ne ſine læſione maneret, felle & aceto amaricata eſt.* S. Bonav. Et pro quibus hæc patitur? *Pro nequiſſimis mancipiis, pro ſceleratiſſimis inimicis, imò pro diabolicis viris; pro contemptoribus divinæ Majeſtatis, & divinæ bonitati ingratis.* Pia & attenta meditatio omnes has Paſſionis circumſtantias minutatim ſibi ponit ante oculos.

§ 11. *De ejuſdem ſanctiſſimi Corporis ſenſibus.*

Supereſt minutata diviſio B. Laur. Juſtin. per corporis ſenſus: Nulla profectò corporis pars, ſeu ſenſuum, ſive membrorum, à „ cruciatu erat illæſa. Inſonabant utique in ejus auribus verba „ blaſphema, divini contemptus ſermones, irridentium, plangen- „ tium, vociferantium, maledicentiumque tumultus. Oculis in- „ tuebatur cum illuſione capita agitantes, atque dicentes, Vah! „ Matrem cernebat mœrore ſauciam, & uberrimè lachrymantem. „ Fœtore cadaverum occiſorum, & ſanguine putreſcenti ejus „ complebatur olfactus. Myrrhati quoque vini potus, melli- „ fluum illius os amareſcere fecerat. Poſtremò in ſtipite poſitus, „

 infixos

infixos clavos geſtavit in manibus. A planta igitur pedis, uſque „ ad verticem capitis, nil à tormentis remanſerat liberum.

Variis modis poterit fieri pulcher epilogus.

RIVULUS MELLIS DECIMUS, ſtillans cum ſanguine de clavis Crucifixi, ſive

EXHORTATIO X.

PRO MENSE OCTOBRI.

THEMA.

Ut ſugeret mel de petra, Deuter. 32, v. 13.

SYNOPSIS.

HÆC exhortatio iterum minutatim dividit tormenta membrorum corporis Chriſti; iterum myſterium fellis & aceti; denique tormentum omnium terribiliſſimum, mortem Chriſti.

§. 1. *Propoſitio.*
§. 2. *Facundia SS. Patrum.*
§. 3. *Iterum deſcribuntur minutatim tormenta membrorum ſanctiſſimi Corporis Chriſti.*
§. 4. *Pia quæſtio de felleo potu Chriſti D. quantum ex illo tormentum & ludibrium.*
§. 5. *Cur Iudæi Chriſto D. obtulerint acetum.*
§. 6. *Quàm in hoc fuerint immanes & crudeles.*
§. 7. *Quàm immenſum in Chriſto D. fuerit pro nobis patiendi deſiderium.*
§. 8. *Mors Chriſti fuit tormentum ejus omnium atrociſſimum.*
§. 9. *Sine omni ſolatio, & refrigerio.*
§. 10. *Chriſtus D. moriens, reliquit nobis exemplum, quomodo & nos mori debeamus.*
§. 11. *Epilogus patheticus.*

§. 1. *Propoſitio.* RItus Agni Paſchalis, quo jubente lege minutatim debuit dividi, & totus conſumi; in Exhortatione ſuperiori tam varias & mi-

Digitized by Google

& minutas, pias tamen & affectuoſas de Chriſto patiente mihi ſuggeſſit cogitationes, diſcurſus, deſcriptiones & affectus, ut omnes Vobis, unius quadrantis mihi præfixi ſpatio, ne numerare quidem potuerim. Rogo itaque, ut quæ ſuperfuerunt, in hac Exhortatione cum eadem benevolentia, attentione & devotione audiatis. Scio B. Virginem dixiſſe S. Anſelmo t.3. dial. de paſſ. *Talia & tanta paſſus eſt meus filius, quòd nullus fidelis illa exprimere poteſt.* Multa tamen de eiſdem enumerare & proloqui poſſumus, quod mox patebit.

Copia & facundia eloquentiæ in hoc conſiſtit, ut res eadem diverſa tamen phraſi, & aliis atque aliis figuris Auditorum animis objiciatur. Minutatam paſſionem omnium membrorum ſanctiſſimi Corporis Chriſti, exigua mea eloquentia, ex ſanctis tamen Patribus in ſuperiori Exhortatione Vobis propoſuit. § 2. *Facundiâ SS. Patrum.*

Audite modò facundiam & eloquentiam S. Bernardini Senenſis, T.1. ſer.55. art.1. c.6. quâ eandem minutatam membrorum paſſionem nobis proponit: Si conſiderantur Chriſti membra, omnia conſummationem dolorum manifeſtant. Nam paſſus eſt in pedibus, non ſolùm confixione clavorum, ſed etiam multâ fatigatione itinerum, in ſuæ vitæ decurſu, prædicando cum multo labore, in tibiis ſupportando corpus in laboribus ſuis. In genibus procidendo, ac genuflectendo: in cruribus corpus ſuſtinendo: in omnibus juncturis, ſæpe multo labore laſſatus; utpote tener & delicatus, tam duris laboribus ſubditus, vigilando & orando, prædicando, clamando, ſuper dura ſtramina jacendo, imò ſæpe in terra pernoctando. Membra vitalia & reſpirantia (procedamus minutatim) ſicut cor & pectoris concavum, & ſimilia, extiterunt afflicta, in multorum ſuſpiriorum, & gemituum aſſumptione, pro ſalute noſtra. Scapulæ, & coſtæ corporis, lateraq; & dorſum, in flagellatione fuerunt afflicta; brachia durè ac ſtrictè ligata; humeri durâ crucis portatione; collum chamo in eo appoſito, per quem ad majorem contumeliam traheretur. Aures fuerunt opletæ opprobriis, nares fœtore horribili ſputorum, abominabilium Judæorum. Genæ & facies tumefactæ, tam alapis, quàm perſecutionibus duris. Oculi fuerunt velatione confuſi, fletu multi- § 3. *Iterum deſcribuntur minutatim tormenta membrorũ Corporis Chriſti.*

multiplici eliquati, dum illas diabolicas facies hoſtium ſuorum „ aſpiciebat, inſpirantes in eum iracundiæ ignem. Denique cùm „ quodlibet membrum Chriſti acceperit paſsionis ſupplicium, lin- „ gua quoque non fuit immunis, in amaro guſtu, abominabilis po- „ tus, tam fellei ante crucifixionem, quàm nunc in potu aceti, ut „ ſic in amaritudine conſummata ſint omnia ejus membra; unde „ meritò in cruce exclamavit, *Conſummatum eſt.*

§. 4. *Pia quæſtio de potu Chriſti fel. leo: Quantum ex illo tormentum & ludibriũ.*

Diſputant Interpretes, an Chriſtus D. potatus fuerit vel aceto tantùm, vel tantùm myrrhato vino, vel tantùm felle. Placet mihi Paſchaſius, inquiens: *Fieri potuit, ut & fel, & vinum, & myrrham, & acetum miſcuerint, ut potus amarior eſſet; quatenus hæc potio omnem amaritudinem eorum in carne & anima, ſeu ſpiritu exprimeret, per quam plena Paſſionis amaritudo denotatur.* Puto Spiritum Sanctum me deducere ad minutatam conſiderationem graviſſimi hujus tormenti, quòd Chriſtum D. in ſiti Crucis voluerint potare myrrhato vino & aceto. *Videmus,* inquit Lucas Burg. in Matth. *ex compoſito non agi cum Domino IESV, ut cum aliis damnatis morte, ſed omnia quæ excogitari queant ludibriorum genera, in ipſum edi. Moris erat, qui & hodie in uſu eſt, ut ſceleratis ad locum ſupplicii adductis, propinaretur vinum, & quidem præſtantiſſimum; idque ut ſitibundi, & ex itinere, aliiſque laboribus defatigati, animum reciperent prope exanimes; denique ut potu exhilarati, mortem & minus conſiderarent, & faciliùs tolerarent.* Judæi igitur, eâ quidem ſpecie, quâ pium morem obſervarent, re autem verâ, ut JESU rurſus illuderent, vappam evacidam, mucidam atque acidam afferri curarunt; neque hoc ſolùm, verùm etiam felle mixtam. Fel deſiccatum, panis loco, vappæ intriverunt (animæ piæ minutatim numerate hos bolos) non ad confortandum cor, ſed ad affligendum, fellis amaritudine guſtum JESU, quem ſolùm hactenus non læſerant, ne quà pars corporis ipſi eſſet cruciatu libera; denique ne quid ipſi omitterent ludibrii. A ſæculo autem non eſt auditum, B. Laur. Juſtin. *ut homini ſitienti, laſſo, vulnerato, ac morienti, pro ſitis refrigerio, acetum felle & hyſſopo daretur mixtum. Excedit totius humanitatis limites iſta crudelitas. Ingrati! ſceleſti! ſine pietate! abſque miſericordiâ! quod brutis impenditur, ſitienti DEI Filio denegarunt.*

Affe-

Digitized by Google

Affectuoſiſſimum adhuc & minutatum myſterium latet ſub *aceto*; Cajetanus enim ait: *Raſis vaſis pleni aceto, cujus ſacer textus facit mentionem, in promptu eſt, ut ſcilicet crucifixi citiùs morerentur.* Dion. Carth. *Milites dederunt Chriſto acetum, ut citiùs moreretur, ſicq; de ejus in cruce cuſtodia expedirentur.* Itaque, acetum crucifixis acceleravit mortem. Hugo Card. *Tædebat eos tam diu morari*; jam advertite myſterium; Quia autem Chriſtus D. incredibili ardebat diutiùs patiendi deſiderio, & ſiti, ideo, *cùm guſtaſſet, noluit bibere*, quia dolores ſuos in longum uſque tempus prolongari cupiebat; nec gratum habebat, quòd manans è vulneribus ſanguis ſiſteretur, ſed potiùs illum totaliter effundi deſiderabat, *ut copioſa eſſet redemptio.* Hoc ex parte Chriſti! apud Judæos fuit *implacabilis feritas & crudelitas, quæ linguam illam mellifluam, quæ docuerat dulcia verba vitæ, in compenſationem, imò potiùs in vindictam, amariſſimis ſaporibus cruciavit, ut clareſceret luculenter, quòd Iudæi interiùs repleti erant odio amariſſimo contra Chriſtum.* §. 5. Cur Christo D. Crucifixores obtulerint acetū.

Addam conſiderationi hujus myſterii verba Salmeronis, & properabo ad alia. Nihil vilius aut minus alicui exhiberi poteſt, quàm aqua. *Cùm aqua elementum omnibus ſit commune, & tamen moribundo porrigunt acetum, quo eorum feritas & immanitas detegeretur, qui in moribundum hominem ita ſæviebat, contra legem dicentem: Date ſiceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro ſunt animo. Acetum verò dare, eſt hoſtile, & immanitatis plenum; maximè vulnerato. Hæc autem eò graviora erant, quò is, qui potum petebat, dederat illis terram fluentem lac & mel, & tot vineas Engaddi.* §. 6. Quàm immanes in hoc fuerint Iudæi.

Promiſi paulò antè, velle me properare, ſed etiamnum me detinet Chriſtus clamans de cruce: *Sitio*! Sic enim deſiderium ſuum indicavit, quò magis magiſque ex amore erga nos pati cupiebat. *O mi IESV*! S. Bern. *Nunquid crudeliùs ſiti, quàm clavis & cruce torqueris? Omnia, quæ hucuſque tuliſti, tacuiſti, & nunc ſolummodo de ſiti conquereris*! S. Bernardus: *Admiranda eſt iſta ſitis Domini noſtri, & mirum equidem eſt, quòd fons ſitit; imò quòd aquarum omnium abundantia ſitit. Et qui omnium ſitim venerat tolerare, patitur, quod ab aliis venerat auferre.* B. Laur. Juſtin. *An vita fons ſitire valet? poteſt, quoniam vult. Sitit utique, & inebriatus amaritudine, adhuc du-* §. 7. Quàm immenſum in Christo D. fuerit patiendi pro nobis deſiderium.

riora ſuſtinere deſiderat. Tum Chriſtum D. ita inducit alloquentem æternum Patrem: *Si hæc quæ tolero, pauca videntur, adde flagello flagellum, appone vulnera vulneribus, lacera, ure, confige, percute, occide: univerſa hæc, & majora, toto deſiderio ſitio!* Taulerus: *Habuit aliam ſitim, puta, ampliùs patiendi: atque expreſſius evidentiùſque ſuum nobis immenſum demonſtrandi amorem, ac ſi diceret homini: Aſpice ut tuæ ſalutis causâ exhauſtus & conſumptus ſum, & tamen adhuc ſitio! necdum ſatisfactum eſt cordi meo.* Ah! Sodales amantiſſimi! conſidemus ſtatim alios modos, quî ſiti, & cordi Jesu poſſimus ſatisfacere. (Eſt locus pro pulchro affectu.

§. 8. *Mors Chriſti fuit tormentum ejus atrociſſimum.* Unum adhuc tormentum Chriſti D. in cruce minutatim debemus conſiderare; de quo Landtſpergius hom. 12. de Paſſ. ait: *Obſerva, quòd multa terribiliaque legitur Chriſtus paſſus; nihil tamen terribilius, nihil amarius, nihil quod majorem illi inferret cruciatum, ſuſtinuit, quàm mortem; omnium enim pœnarum acerbiſſima eſt mors; quæ cùm omnibus mortalibus, Chriſto tamen præcipuè erat amariſſima, propter Perſonæ dignitatem ac nobilitatem. Si enim propter naturalem inclinationem, quam in cæteris mortalibus habet anima ad corpus, difficilis eorundem eſt ſeparatio, multò erat hæc naturali modo difficilior in Chriſto, atque pretioſior: utpote dum talis unio eſſet ſolvenda, ubi anima tam digna, ab hoc Chriſti corpore, cui utique Divinitas fuerat ſingulari conjunctione in unitate ſuppoſiti unita, debebat ſeparari.* Divinitas quidem ab Humanitate ſeparata non fuit, in morte tamen illam ita reliquit, ut ſenſualitas nullam conſolationem, nihil refrigerii, nihil ſuſtentationis ſuſceperit, ſed in ſua derelicta ſit infirmitate pati, quæcunque erant patienda, & ipſas anguſtias mortis.

§. 9. *Sine omni ſolatio & refrigerio.* Talia minutatim pergite conſiderare, Sodales amantiſſimi! Deus Chriſto homini in cruce, in agonia, nec tantillum ſolatii, „ permiſit fluere, vel à Divinitate, vel ratione ſuperiore humana, „ in inferiores animi vires, ne dum in corpus: ſed totum ipſum, & „ animâ & corpore expoſuit tormentis crucis, mortiſq; ad tempus, „ tolerandis. Luc. Burg. Necdum tamen cogitemus, eſſe ſatisfactum cordi Jesu; ideo antequam emittat ſpiritum, exclamat ad Patrem: *DEUS meus, ut quid dereliquiſti me!* Chriſtus enim (Ven. Beda) ex vi tormentorum, mortem ſuam accelerari videns, & volens diu- „ tiùs

Digitized by Google

tiùs pro nobis ferre tormenta; hanc amore refertam querimo- „
niam Patri propoſuit, dicens: Pater, cur tam citò me mori diſpo- „
ſuiſti? cur non moras protrahis, ut magis magiſque pro hominum „
ſalute adhuc crucier?

Sed quia æterno Patri aliud placuit, tandem inclinavit caput, §. 10.
& ſpiritum reddidit Patri, & pro noſtris reatibus in Cruce moriens *Chriſtus D. moriens, reliquit nobis exemplum, quomodo mori debeamus.*
ſatisfecit. Monendo tamen variis circumſtantiis expreſſit, quid
faciendum ſit nobis in omni periculo tentationis, & in ipſo arti- „
culo mortis; tunc enim Pater invocandus eſt, tunc ei filiali amo- „
re medullitùs adhærendum, tunc potiſſimùm ei ſpiritus com- „
mendandus eſt. Simon Caſſianus: Moriendi exemplum nobis „
dereliquit; nam in illo congreſſu, ubi dolor acerrimè cum natura „
luctatur, quòd mors ſenſum penitus adimit, nihil aliud potionis, „
aut alterius habemus refugii, niſi ut animam tantâ dignitate crea- „
tam, tam altè pièque redemptam, inhæſitanter Domino com- „
mendemus, qui ſolus potens eſt, hoc depoſitum incolume ſervare.

O Sodales amantiſſimi, hoc caveamus, ne DEUS nos derelin- §. 11.
quat, ut peccatores deſerere, & relinquere ſolet; S. Baſilius M. DEI *Epilogus Patheticus.*
abalienatio, ac averſio, inter eas omnes pœnas, quæ in gehenna „
exſpectantur, longè intolerabilior ac gravior ei eſt, qui plectitur. „
(fiat patheticus epilogus.)

RIVULUS MELLIS UNDECIMUS,

ſtillans cum ſanguine de Latere Chriſti,

ſive

EXHORTATIO XI.

PRO MENSE NOVEMBRI.

THEMA.

Ut ſugeret mel de Petra, Deuter. 32. v. 13.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

HÆC exhortatio iterum minutatim dividit & inquirit per varias circumſtantias ardentiſſimum illum amorem, quo Chriſtus D. pro nobis mortuus eſt.

Digitized by Google

§. 1. Propoſitio.
§. 2. In conſideratione Paſſionis valde minutatim conſiderandus eſt amor illius, qui patitur.
§. 3. Variæ minutatæ hujus conſiderationis circumſtantiæ, de amore Chriſti erga nos; & illo, quem nos illi debemus.
§. 4. Pulchra qualitas perfecti amoris.
§. 5. Chriſtus D. à nobis poſtulat mutuum amorem.
§. 6. Chriſtus patiens provocat nos ad amandum, cum magno noſtro commodo & ſolatio, ſi amamus.
§. 7. Sitiendo in cruce, ſitivit noſtrum amorem.
§. 8. Proſecutio ex aliis SS. PP.
§. 9. Pia expoſitio P. Salmeronis ſuper verbum Sitio:

§ 1. *Propoſitio.*

PIA & attenta memoria & conſideratio Paſſionis Chriſti, præſertim ſi minutatim inſtituatur, juxta inſtructionem præcedentis Exhortationis, varias, eaſque plurimas adhuc inquirit, ſcrutatur, & indagat circumſtantias, quæ varios & eximios in nobis poſſunt concitare affectus, v. g.

§. 2. *In conſideratione Paſſionis, valde minutatim conſiderandus eſt amor illius, qui patitur.*

Amor, ex quo Chriſtus D. paſſus eſt, minutatim eſt conſiderandus. *Poterat enim omnipotens*, B. Laur. Juſt. de tr. ag. *Majeſtas aliter, quàm ſe exinaniendo, perditum reparare hominem, ſed ut ſciret, quantum diligeretur, id facere voluit: ſciret quoque, quem amorem deberet illi, qui pro peccatore, pro perdito, pro ingrato, tantis ſe dignatus eſt exponere paſſionibus.* S. Bernardus: *Vide, quid de IESV Redemptore tuo ſentias, vide, quibus brachiis vicariæ charitatis redamandus, & amplectendus ſit, qui tanti te fecit, & ita dilexit, ut tanta & tam multa pati voluerit. Vnus paſſus pedis,* (S. Bernardinus) *& unicus ictus oculi Chriſti, & unicus actus IESV, & una gutta ſanguinis Chriſti, erat ſufficiens pro redemptione mille mundorum, ſed præ amoris magnitudine, ſuſtinuit multiplicia, & grandia, ſive multa & magna.* Hæc in ſtatera charitatis minutatim appendite; & quid illi dignè rependere poſſitis, non reperietis.

§. 3. *Variæ hujus conſiderationis minutatæ circumſtantiæ, de amore*

Bene advertenda eſt admonitio Ludovici Bloſii in concl. an. c. 10. *Singula, quæ pertulit IESVS, ita conſidera & recipe, quaſi pro te ſolo illa pertuliſſet; neque enim ea tibi minus proſunt, quàm ſi tu ſolus per Chriſtum redimendus fuiſſes; ſed etſi ſolus redimi debuiſſes, ille pro te uno promptiſſimè & incarnari, & pati, & mori voluiſſet.* Neque enim

enim recuſaturus erat, vel ob unum tantam exhibere diſpenſatio- *Chriſti erga*
nem; adeo ſingulum quemque hominem pari charitatis modo di- *nos, & illo,*
ligit, quo diligit orbem univerſum. In Monili Lud. Bloſii piè indu- *quam illi*
cit Chriſtum in cruce pendentem, ita alloqui hominem: *En vides! debemus.*
quomodo pro te ſum vulneratus in cruce! ſi ſaluti tuæ expediret, vellem pro te ſolo tolerare omnia, quæ toleravi pro toto mundo. Ac proinde Euſebius Emiſſenus ita nos adhortatur: *Chriſtus ſicut pro cunctis paſſus eſt, ſic pro ſingulis. Sicut ei totum debent univerſi, ſic totum ſinguli; ſed quodammodo plus ſinguli, quàm univerſi; quia quantum acceperunt ſinguli, tantum univerſi.* S. Thomas theologicè hanc veritatem pulcherrimè exponit: *Totum, quod omnibus eſt impenſum, unuſquiſque debet ſibi aſſcribere; quid enim intereſt, ſi & aliis præſtitit; cùmque tibi ſunt præſtita, ita integra ſunt, & ita perfecta, quaſi nulli alii ex his aliquid fuerit præſtitum.* Salvianus: *Totum ſe dedit univerſis, & ſingulis totum; ac per hoc, quidquid Salvator paſſione ſua præſtitit, totum ei debent univerſi, ſicut totum ſinguli.* Hæc minutatim perpende, ô homo. Et hoc in omnibus hactenus dictis, quod ait S. Bonav. *Suffeciſſet ad redemptionem humani generis minutiſſima gutta ſanguinis Chriſti; ſed data eſt copia, ut ex inundatione beneficii virtus - & fervor, & ardor - innoteſceret diligentis.* Unde grave eſt, quòd tantum diligens, tantum oditur. (Ecce locum pro pulchro affectu.)

B. Laur. Juſtin. ait de con. cap. ult. *Ignitus amor ſemper meditatur nova, & inſueta componit, impatiens namque cùm ſit, cogitare non deſinit, quomodo ardentiùs diligat.* Talis debet eſſe noſter amor, dum meditamur Chriſti D. Paſſionem, ut quandoquidem tam multa intellectui occurrunt magna, atrocia, quæ Chriſtus D. ex infinito amore pro nobis pertulit, ita cogitare, & quidem minutatim non deſinamus, quomodo ardentius diligamus. Et quantò ferventiùs dilexerimus eum, tantò magis ſuæ compatiemur paſſioni; & quantò plus ei compatiemur, tantò plus noſter erga eum accendetur affectus. S. Th. 3. p. q. 46. art. 3. *Per hoc homo cognoſcit, quantum DEUS hominem diligit, & per hoc provocatur ad eum diligendum.* S. Bernardus piè meditatur, in paſſione Chriſti inter omnes ſpecialiter tres eximias virtutes emicuiſſe; ait enim de Paſſ. In opere patientia, in modo humilitas, in cauſa charitas, eaſque repetens „

§. 4. Pulchra qualitas perfecti amoris.

 ſub-

ſubjungit: Patientia ſingularis, Humilitas admirabilis, ſed Charitas inæſtimabilis. - Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Propter nimiam charitatem ſuam. Ignitus amor in his ſemper meditatur nova, &c. ut ſupra.

§. 5. *Chriſtus D. à nobis poſtulat mutuum amorem.* Elegantiſſimam ad amorem adhortationem reperio apud S. Chryſologum ſer. 108. ubi ait: Audi rogantem Dominum: Totâ „ die, inquit, expandi ad te manus meas. Nonne qui expandit ma- „ nus, ipſo habitu rogat? Expandi manus meas: ad quem? ad popu- „ lum. Et quem populum? non tantùm non credentem, ſed contra- „ dicentem. Expandi manus meas; diſtendit membra, dilatat viſce- „ ra, pectus porrigit, offert ſinum, gremium porrigit, ut Patrem ſe „ tantæ obſecrationis monſtret affectu. Audi & aliter rogantem „ DEUM: Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contriſtavi te? non- „ ne dicit, ſi Divinitas ignota eſt, vel charitas ſit nota. Videte, vi- „ dete in me corpus veſtrum, membra veſtra, veſtra viſcera, oſſa „ veſtra, veſtrum ſanguinem: & ſi quod DEI eſt, timetis, quare quod „ veſtrum eſt, non amatis? Si Dominum fugitis, quare non recurri- „ tis ad parentem? ſed fortè vos paſſionis meæ, quam feciſtis, mag- „ nitudo confundit. Nolite! crux hæc non meus, ſed mortis eſt acu- „ leus. Clavi iſti non mihi infigunt dolorem, ſed veſtram mihi infi- „ gunt altiùs charitatem; Vulnera hæc non educunt gemitus meos, „ ſed magis vos meis viſceribus introducunt. Extenſio corporis „ mei vos dilatat in gremium, non meam creſcit in pœnam. San- „ guis meus non mihi deperit, ſed veſtrum prorogatur in pretium. „ Venite ergo, redite, & vel ſic probate Patrem, quem videtis pro „ malis bona, pro injuriis amorem, pro vulneribus meis tantam „ reddere charitatem, eo fine omnia, ut viciſſim me ametis, & mu- „ tuam reddatis charitatem. Ignitus amor ſemper meditatur nova, &c. p. ut ſupra.

§. 6. *Chriſtus patiens provocat nos ad amandũ, cum magno noſtro commodo & ſolatio, ſi amamus!* Graviter Taulerus de vita & paſſ. Chriſti, c. 36. *Et quidem piiſſimus IESVS non tantùm in illis intolerabilibus pœnis perpendit, - ut nos redimeret, - verùm etiam cum amoris argumentis atque indiciis, ut nos ſimiliter ad amorem accenderet, & provocaret.* O mei Sodales! ſi in cordibus veſtris ardent ſimiles amoris flammulæ, quàm puto & ſpero vobis eſſe bene! *Nam oculis video apertos Chriſti pedes, & trans-*

Digitized by Google

tranſfixas manus, per quas rimas nobis guſtare licet, quàm ſuavis eſt Dominus. Quoniam revera ſuavis & mitis, & multa miſericordia eſt, omnibus eum invocantibus, omnibus inquirentibus, & maximè diligentibus. Imò S. Aug. *Toties DEUM oſculamur, quoties in ejus amore compungimur.* Cur nobis non eſſet bene, ſi JESUM crucifixum amemus? Mich. 7. v. 18. *Miſerebitur noſtri, deponet iniquitates noſtras, & projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra.* Cur nobis non eſſet bene, ſi JESUM diligamus? Inclinat ad nos oculos ſuos, ut videat neceſſitates noſtras, & aures, ut exaudiat nos. Inclinat caput, per hoc nos conſolari volens, ut ſciamus eum non eſſe averſum à nobis. Cur mihi non eſſet bene? & optimè. Chriſtus ex charitate pro me paſſus eſt & mortuus; ego ex charitate pro Chriſto faciam, & patiar omnia, & moriar, cùm voluerit. Si JESUM diligam, cur mihi non bene eſſet?

§. 7. Sitiendo in cruce, ſitivit noſtrum amorem.

Quantum Chriſtus D. hanc mutuam à nobis dilectionem deſideret, in ipſo agone inſinuare voluit, dum propter immenſam ſitim exclamavit, *Sitio.* Clarum eſt, naturalem fuiſſe hanc ſitim, neque ejus cauſis modò inhæreo. Curioſus eſt meus amor, ut minutatim in variis circumſtantiis indaget, quàm immenſum in ipſa paſſione, inter graviſſima ſupplicia & tormenta, imò inter ipſas mortis anguſtias, erga nos Chriſtus D. oſtenderit amorem, quem hâc ipsâ ſiti, & hoc verbo *Sitio,* voluit demonſtrare. B. Laur. Juſt. *Sitiebat nos, & dare ſe nobis deſiderabat*, ſcilicet per mutuum amorem. Quid ſitis, Domine JESU? quærit S. Bern. Reſpondet B. Laur. Juſtin. *Omnes ad ſe trahere, ſibique copulare deſiderabat, inſinuare cupiens illis, quanta qualiaq; pro ipſis ſupplicia pateretur; quatenus grati pro beneficio, animati pro munere, de tam immenſo charitatis obſequio rependeret gratiam. Proinde ſicut pendens expanſis brachiis, apertis manibus, perfoſſis pedibus, inclinato capite univerſos invitabat, dicens, Sitio, Vos, inquit, volo, vos cupio, vos corpori meo unire, vos mihi aſſociare ſitio. Hanc vocem in ſpiritu teſtificatus eſt David, inquiens: Pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in ſiti. Curramus igitur & nos fratres, curramus ſinguli, curramus omnes, & ſitienti Chriſto in potum illi præbeamus nos ipſos. Sitit nos propter nos, inebriare nos vult dulciſſimi amoris potu.* Amat nos! amemus.

Requi-

Digitized by Google

§. 8. *Proſecutio ex aliis SS. Patribus.*

Reperio adhuc apud SS. Patres affectuoſas minutatas cogitationes de ſiti, & amore Chriſti, ejuſque deſiderio, ut & nos ſitiamus & amemus. *Quid ſitis Domine? certè ſalutem illorum, ait S. Aug. pro quorum ſalute ſanguinem profudit. Sitis ex calore procedit intrinſeco, hunc calorem, ſcilicet incenſum amorem, Chriſtus habebat, qui ipſum faciebat ſitire.* Eleganter addit Simon Caſſ. l. 13. *Nec decebat, tale deſiderium alio in tempore aperiri, niſi eo tempore, quo redemptionis noſtræ pretium per mortem & ſanguinem ſolvebat. Quid ſitis Domine IESV?* iterum quærit S. Anſelmus in dial. de paſſ. & reſpondet, *ſalutem peccatorum.* Sed Sodales amantiſſimi! ſi fortaſſis & nos peccatores ſimus, certi quoque ſimus, nos ſalutem obtinere non poſſe, niſi ardenter ſitiamus & amemus, & diligerimus JESUM crucifixum!

§. 9. *Pia expoſitio P. Salmeronis, ſuper Verbum SITIO.*

P. Salmeron hoc verbum *Sitio*, ad rem meam devotiſſimè ſic exponit, & inducit Chriſtum D. loquentem de cruce: *Tam ſitibundus hîc pendeo, juxta fontem cordium veſtrorum, ut animadvertam devotas animas veſtras huc accurrentes ad hauriendum, ex immenſo Paſſionis meæ puteo, - aquam ſcilicet devotionis, compunctionis, lachrymarum, & amoris mutui, - dicam ſtatim, bibite, bibite, & inebriamini chariſſimi.* Et ita moriens in cruce, in ſe, in ſua ſiti exprimere voluit ſitim, quam nos habere debemus ad ſalutem noſtram, & amorem ad JESUM crucifixum. Epilogus ſit pia apoſtrophe ad Sodales agoniæ.

RIVULUS MELLIS DUODECIMUS, ſtillans ſanguine ſanctiſsimæ Crucis, ſive

EXHORTATIO XII.

PRO MENSE DECEMBRI.

THEMA.

Ut ſugeret mel de petra, Deuter. 32. v. 13.

SYNOPSIS.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

EXhortatio hæc minutatim ruminat alia myſteria, & dolores crucifixionis.

§. 1. Propoſitio.
§. 2. Detractio veſtis ante crucifixionem, quàm fuerit pœnoſa.
§. 3. Proſecutio.
§. 4. Lapſus Chriſti inter manus carnificum, cum immenſo dolore.
§. 5. Alia diræ circumſtantiæ illius denudationis.
§. 6. Minutata aliqua conſiderationes de ipſa crucifixione.
§. 7. Proſecutio affectuoſa.
§. 8. Revelatio facta S. Veronicæ.
§. 9. Alia facta S. Anſelmo.
§. 10. Diſtenſio corporis fuit dolor acerbiſſimus.
§. 11. Proſecutio.
§. 12. De dolore Chriſti pectorali.
§. 13. De Crucis elevatione.

MInutatim in aliquot Exhortationibus diviſi Agnum Paſchalem, hoc eſt, piè, attentè, & per varias circumſtantias, Vobis conſideranda propoſui multa, magna & gravia tormenta Chriſti crucifixi. Occurrunt adhuc aliqua ſimilia, quæ appellabo *abſcondita*, eò quòd licèt gravia & magna ſint, rarò tamen veniant in noſtram conſiderationem. Quænam illa ſint, ſtatim audietis. *§. 1. Propoſitio.*

Detractio veſtium, antequam crucifigeretur, ingentis tormenti,& atrocis ſupplicii fuit cauſa. Porro enim, cùm veſtem cum omni inhumanitate, ut mox dicam, detraxerunt, *repentè* (B. Laur. Juſtin. de tri. Chriſti ag. c. 16.) *de cicatricibus recentibus cruor emanavit abundè; inhæſerat quippe corpori cruento inconſutilis tunica, quæ ſanguine hauſto ſiccata erat; quamobrem pellem totam detrahere coacta eſt.* S. Vinc. Ferr. in Paraſc. hunc dolorem in hæc verba conſiderat: *Et tunc procul dubio Chriſtus habuit novam & maximam paſſionem, quoniam illa purpura congelata fuit, & fortiter compacta vulneribus, ictuum, flagellorum, quæ abſque maximis doloribus avelli non poterat; & maximè, quando tunicâ illâ ſpoliatus fuit, renovata fuerunt omnia vulnera. Et hæc durior pœna fuit, quàm flagellatio, vel etiam coronatio, quod facilè quis ſibi imaginari poteſt. Cœpit enim novus ſan-* *§. 2. Detractio veſtis ante crucifixionem, quàm fuerit pœnoſa.*

guis ebullire, & totum corpus roſeo cruore perfundi. B. Laur. Juſt. *In expoliatione hac, quid doloris ſenſerit, nullius, quamvis eruditi, ſufficit enarrare facundia.*

§. 3. *Proſecutio.* Taulerus purpuram & chlamydem ſanctiſſimæ Chriſti vulneratæ carni infixam, & quaſi cum particulis cutis, & carnis connexam, rabie quâdam, & cum furore abſtractam, his verbis meditatur: *Ingenti hic cum compaſſione attendamus, quantâ cum rabie, & inclementia crudeliſſimi canes Domino veſtes abſtraxerint. Quis non videat, quàm inhumanus fuerit dolor, veſtem vulneribus inhærentem, & ſanguine concretam, tanto cum furore, & crudelitate detrahere, cunctis haud dubiè vulneribus recrudeſcentibus:* Et quia Pilatus JESUM tradiderat crudelitati eorum, ait S. Joannes, *Suſceperunt autem IESVM,* ſed illo ſenſu, in quo David illo verbo fuit uſus, pſ. 16. v. 2. *Suſceperunt me, ſicut leo paratus ad prædam; in quo notatur crudelitas,* (ait nobilis Interpres,) quâ illum invaſerunt,) *avidè & crudeliter, non tantùm Principes & Majores, ſed etiam plebei & minores, ſcilicet qui erant catuli leonis, id eſt, filii diaboli, quibus dictum eſt: Vos ex patre diabolo eſtis.* Cogitemus ergo, qualiter plures crucifixores certatim illam tunicam, vulneribus tenaciter infixam, cùm rabie & furore hinc inde traxerint, & retraxerint, donec JEsus totus ante crucem, in monte Calvariæ ſtaret nudus, ab omnibus illuſus. Poſtquam Drogo Hoſtienſis deſcripſiſſet Chriſtum D. ſpinis coronatum, indutum purpurâ, ornatum arundine, Judaicæ Synagogæ hanc quæſtionem propoſuit: *Rex veſter! rectène illuſus eſt.* O Sodales dilectiſſimi, accurrite! aſpicite JESUM ſpoliatum veſtibus, & dicite, quid judicatis? Rectène illuſus eſt? rectène tortus eſt? &c. occurritne Vobis aliquid, quod ad illuſionem & torturam deſit?

§. 4. *Lapſus Chriſti inter manus carnificum, cum immenſo dolore.* Nullo modo judico rejiciendam piam aliquorum meditationem, quâ meditantur, creditu facilè eſſe, Chriſtũ D. in his circumſtantiis, in hac laniena, cecidiſſe in terram; præſertim cùm milites extremè fatigatum & exhauſtum viribus in bajulatione ponderoſiſſimæ Crucis, hâc illac impellerent. Minutatim meminiſſe debemus diri illius Vulneris, quod in ſanctiſſimo humero impreſſit pondus crucis, cum toga, cum fragmentis carnis, cum dilaceratis

nervis

Digitized by Google

nervis & fibris; quæ omnia cùm unum efficerent vulnus, ex aliquibus partibus jam exſiccatum, ſubita hujus vulneris renovatio, & abſtractio veſtis tam violenta tantum cauſavit dolorem, ut mirari non debeamus, illum præ quodam deliquio, inter carnificum manus cecidiſſe in terram. Luc. Burg. *Pœna hæc fuit immenſa.* Quotidiano diſcimus uſu, ſi cui noſtrûm vel tenue hæreat vulnus, vix moderata ferimus; quid ergo cenſemus Dominum JESUM ſenſiſſe, quo cruciatu eſſe affectum in hac diriſſima vulnerum omnium renovatione.

§. 5. *Alia dira circumſtantia illius denudationis.*

Cæteris ultimo ſupplicio plectendis, vel oculi velabantur, vel inſtrumenta carnificinæ abſcondebantur, ne eorum aſpectu triſtiores redderentur, & animum deſponderent; non ita factum eſt Chriſto D. ſed quidquid ad majorem ejus dolorem fieri potuit, fuit adhibitum, unde crucem, funes, clavos, malleos, projecerunt in terrã ante oculos, ut ſic in oculis, & in animo crucifigeretur priùs, quàm in corpore. Neque lictores interim ceſſaverunt fuſtibus vel ſtimulis, vel pedibus, jacentẽ ad ſurgendũ exſtimulare, vel funibus raptare. Inimicis undique cinctus, ſicut ovis lupis, his plaudentibus & inſultantibus, crudelitate militari Dominũ impellente, protrudente, raptante, ac pugnis, fuſtibus malè mulctante; ſive ſtaret, ſive pergeret, ſive jaceret, & præ labore dehiſceret. Dion. Carth. *Quidquid confuſionis, contemptus & crudelitatis excogitare potuerunt, fecerunt in eum.* S. Anſelmus: *Vide anima mea, quomodo per omnia vir iſte coarctatur!* Bloſius: *O mi IESV! quando in loco Calvariæ nudatus es, quando plagæ tuæ ex veſtimentorum detractione innovatæ fuerunt, quàm atrocem cruciatum ſuſtinuiſti!*

§. 6. *Minutata aliqua conſiderationes de ipſa crucifixione.*

Idem tempus eſt, ut Agnũ paſchalẽ minutatim dividamus, ſive ut piè, devotè & attentè per varia conſideremus Chriſti D. crucifixionem. Utar iterùm facundiâ SS. Patrum. Simon Caſſ. l. 13. *Nudatus furibundè injicitur cruci, quamvis in nullo renitens, in omnibus tractabilem ſe præbeat. Diſtenditur in cruce toto corpore IESVS, licèt jam magis in animo charitate eſſet diſtenſus. Præſtò ſunt clavi & mallei, adeſt valida manus lictorum. Qui ut atrociùs & expeditiùs hanc impietatem expedirent, trifariè ſunt diviſi; unus dexteram manum, alius ſiniſtram, tertius pedes ſuperpoſitos pervalidè diſtendentes, ictibus*

crebris & validis reſonantibus, ſuper clavorũ capita configebant. Prius unum, deinde alium, demum pedes credamus eſſe confixos. Sonitus generatus ex colliſione clavi, carnem dominicam penetrantis, & mallei deſuper ferientis, fortiter reſonabat in auribus aſtantium. Vidiſſes illico, (quod dictu, audituq; horrendum eſt) *affatim profluere ſanguinem, corpus totum rigeſcere, faciem plus ſolito palleſcere, venas, brachiorumq; arterias præ doloris magnitudine coarctari.*

§. 7. *Profecutio affectuoſa.* Lucas Burgenſis tragœdiam ita deſcribit: *Iam jacentis in cruce IESV manus, pedeſque* (quos lubens & ultrò extendit) *vi magnâ tenuerunt impii, milites aut potiùs funibus aſtrinxerunt cruci, veriti, ne præ dolore, quem in fixione ipſa ſenſurus eſſet, disjiceret univerſum corpus, & fixionem impediret. Deinde verò brachiis utrimque, ut nervus in arcu extenſis, palmæ manuum adhibito malleo ferreis clavis terebratæ, & cruci affixæ ſunt. Clavis inquam, acutis dicam, aut quæ vulgi opinio eſt, obtuſioribus, ut in eo gravior eſſet cruciatus, quò perfoſſio difficilior.* B. Angela de Fulginio ait: *Cogitabam de magno dolore, quem Chriſtus ſuſtinuit in cruce, & cogitabam de illis clavis, de quibus audiveram dici, quòd clavi illi de manibus & pedibus carnem portaverunt intus in ligno; & deſiderabam videre, vel ſaltem illud parum de carne Chriſti, quàm clavi illi portaverunt intus in ligno,* (puto B. Angelam habuiſſe præ oculis particulas carnis & pellis, vel illos nervos & arterias, quas clavi ſecum de manibus & pedibus Chriſti ferè totas avulſas traxerunt, in ipſa foramina ligni & crucis,) *& tunc habui tantum dolorem, de illa pœna Chriſti, quòd non potui ſtare in pedibus. O bone IESV! quem tu ſenſiſti dolorem! ô quàm atrocem cruciatum ſuſtinuiſti! Et ô bone IESV! quantâ amoris ſuavitate!*

§. 8. *Revelatio facta S. Veronicæ.* Beatæ Veronicæ revelatum fuit, acceptis clavis, cùm foramina crucis à fabro facta longiùs diſtarent, ut manibus & pedibus attingi non poſſent, fune brachia, manuſque circumligaverunt, diuque trahentes, compage corporis ſolutâ enodarunt, ac præcipuè oſſa humeris hærentia colliſa, loco naturali ceſſerunt. Clavo primùm manum dexteram cruci affixerunt; deinde ſiniſtram malleis perſtrepentibus, veluti ſi trabes jungerentur. Id pariter egêre circa pedes. Quamobrem omnia Salvatoris membra locis naturæ divulſa ſunt.

Huic

§. 9. *Alia facta S. Anſelmo.*

Huic revelationi conſonat illa, quam B. Virgo S. Anſelmo fecit in hæc verba: *Incutiebant primò unum clavum adeo ſpiſſum, quòd tunc plenè ſanguis non potuit emanare, ita vulnus clavo replebatur.* (Non memini, mihi hactenus unquam incidiſſe cogitationem de hac circumſtantia. Perge ô S. Spiritus, reple memoriam meam ſimilibus conſiderationibus.) Acceperunt poſtea funes, & traxerunt aliud brachium filii mei JESU, & clavum ſecundum ei incuſſerunt. Poſtea pedes funibus traxerunt, & clavum acutiſſimum incutiebant, & adeo tentus fuit, quòd omnia oſſa ſua, & membra apparebant, ita ut adimpleretur illud pſalmi: Dinumeraverunt omnia oſſa mea. Taulerus: Grandes illi & obtuſi clavi vi multâ per nervos, venas & oſſicula, quæ in manibus concurrunt, ineffabili cum cruciatu adigebantur. Dion. Carthuſ. Hoc diligentiſſimè debemus perpendere, quàm doloroſiſſima fuit Chriſto violentiſſima illa corporis ſui ſancti diſtenſio; ita quòd, oſſium ejus ſolvebatur compago. Nullum membrum in naturali, aut priſtino loco, ſeu ſitu remanſit, ut nervi diſrumperentur. Et quia Chriſti corpus frigore, ſanguinis effuſione, & pœnis jam perpeſſis, non parum contractum erat, impoſſibile erat, illam violentam diſtenſionem fieri ſine immani cruciatu. Transfixio pedum hoc habuit peculiare, quòd utrumque pedem ſimul, uno clavo, uno impetu, pedibus ſibi mutuò impoſitis, ac complicatis transfixerint, cum immani nervorum omnium laxatione & dilaniatione.

§. 10. *Diſtenſio corporis ſuit dolor acerbiſſimus.*

Lud. Carth. ait: Legitur, quòd cùm quædam devota Perſona, in quadam revelatione interrogaret Dominum, quid in omnibus, quæ pro nobis pertulit, maximè doluiſſet, reſpondit: Quòd in cruce extenſus fui, ita quòd omnia oſſa mea numerari poterant; & quicunque pro illo dolore mihi gratias egerit, ita gratum obſequium mihi præſtabit, acſi omnia vulnera mea unguento deliniret.

§. 11. *Proſecutio.*

B. Angela de Fulg. addit triſtia de Chriſti D. diſtenſione: Apparuit in juncturis benedicti illius corporis tanta diſſolutio compaginis, & unionis in juncturis omnium membrorum, ex dira & crudeli protenſione, & tracturâ horribili membrorum virgineo-

rum facta, ab illis homicidis manibus perfidorum ſuper patibu-„ lum crucis, quòd nervi & juncturæ oſſium omnino videbantur,„ laxari à debita corporis harmonia.„ O Sodales dilectiſſimi, agamus Jesu noſtro gratias, &c.

§. 12. *De dolore Chriſti pectorali.* In Vita S. Catharinæ Senenſis legitur, quòd inter omnes dolores, quos Redemptor in crucis patibulo ſuſtinuit, nullus fuit major eo, quem in pectore paſſus fuit, ob disjunctionem oſſium pectoralium, cordis protectioni & tutelæ ordinatorum. Id quod de ſe ipſa ait, ſe ſenſiſſe, & aſſerebat, omnes exceſſivos dolores ad Chriſti Sponſi ſui paſſionem ſpectantes, & ab eodem ſibi communicatos, fuiſſe quaſi tranſitorios, hoc pectorali dolore excepto, qui atrociter fixus ſemper remanebat, doloreſque intolerabiles ei conciliabat.

§. 13. *De Crucis elevatione.* Nunc paucula minutatim conſideremus de ipſa SS. Crucis erectione. S. Anſelmus: Erexerunt crucem cum magno labore;„ & cùm erectus fuiſſet, tunc propter ponderoſitatem corporis,„ vulnera lacerata ſunt, & aperta: & tunc primò ſanguis de mani-„ bus & pedibus copioſiùs emanavit. De revelatione B. Veronicæ leguntur ſequentia: Inauditâ feritate ſacrum Corpus in altum,„ erexêre miniſtri Sathanæ, quo ineffabilem Chriſti pendentis do-„ lorem facillimè qui aderant, animadverterent. Conſpexit Vero-„ nica miniſtros crucem erigentes, ob nimium pondus, volentes,„ permiſiſſe illam cadere ſupra quoddam ſaxum; qui lapſus pientiſ-„ ſimo Salvatori dolores in immenſum coacervavit. Cùmque cru-„ cem iteratò erigerent, vulnera mágis magiſque latiora fiebant,„ doloribus vehementiſſimè acutis, non ſine dira corporis concuſ-„ ſione, & vulnerum dilatatione. Taulerus: Ubi jam cruci affixe-„ rant, mox eum immitiſſimi carnifices magno cum furore cum„ cruce ſublevarunt, ipſamque crucem ferociſsimè in petram ex-„ ciſam impegerunt, & decidere permiſerunt, ita ût hoc caſu cun-„ cta Chriſti membra atque interiora, inhumano quodam dolore„ concuterentur, & colliderentur. Quando enim pro ſublevando„ afflicti corporis dolore, clavatis innitebatur pedibus, afficiebatur„ incredibiliter; ſi verò in brachiorum vigore, pro mitigandis cru-„ ciatibus pedum ſuſpendebatur, manuum ſupra modum dilata-„

bantur

Digitized by Google

bantur fixuræ, addebanturq́; vulnera vulneribus, & rediviva feſ- ,,
ſis membris ſupplicia inferebantur; ſicque incomprehenſibili ,,
modo inde patiebatur vehementiùs, unde dolori occurrere cu- ,,
piebat. Sacratiſſimum caput præ ſpinarum punctionibus de- ,,
bilitatum movebat, ſed ubi firmaret, minimè reperiebat. Nunc ,,
in ſiniſtrum latus, nunc in dexterum movebat. Cùm cruci ad- ,,
hærebat, ſpinæ infigebantur arctiùs, cùm illud erigebat, diu per- ,,
ſeverare non poterat. Veni in profundum maris, unde
emergere non potero, niſi finiam.

FINIS.

Digitized by Google

ADMONITIO
AD LECTOREM.

A*Mice Lector*, *Si illa*, *quibus in his Exhortationibus majori ex parte uſus*, *placeat videre & legere*, *fuſiùs ſcripta & dilatata*, *vide* Joſephũ Manſium, *in doctiſſimis ejus Tractatibus*; *præſertim illo*, *de aſſidua Paſſionis Chriſti Domini Meditatione*. *Lectio mea apicula fuit*, *quæ tantum ibi reperit mellis*, *ut facti inde ſint Rivuli mellei*. *Quæ mihi placuerunt*, *conatus ſum diſponere ad concitandos varios*, *pios & patheticos affectus*.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google